SERPENTES ERRORES CONTRA INFALLIBILITATEM ECCLESIÆ CELERI PEDE CONTRITI.

PERTRACTATIO SINGULARIS AD

SOPHONIÆ

DAMASCI REGIS FILII HISTORIAM

DEO, ECCLESIÆ, REGNO

DUOBUS VOLUMINIBUS CONSECRATAM

PRO ÆTERNA RERUM HOC ILLUMINATO SÆCULO GESTARUM MEMORIA.

CUM SUPERIORUM LICENTIA.

1792.

2

P: Crescentius Lanbuts

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Bint. 403 (2)

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

MONITUM AD LECTOREM.

Compositis & Typo destinatis duobus SOPHONIÆ Damasci Regis Filii Historiæ tomulis ad manus meas pervenerunt trium virorum scripta, quorum duo priores, ut ut Catholici, Infallibilitatem Ecclesiæ *insigniter modificant*, tertius vero eam è medio tollere improbo labore desudat, atque istud scandaloso quodam Libello, cui Titulus „ *Historia Critica de Infallibilitate Ecclesiæ pro promovendo liberiori examine Catholicismi.* “ Frankoforti ad Menum an. 1791. apud Philippum Wilh. Eichenberg.

Partus hic spurius & abominabilis nulla re, nisi candore caret, nulla affluit magis, quam calumniis, & in suprema Ecclesiæ sydera pleno gurgite effusis detractionibus. Autor ipsius, pro more hujus sæculi se quoque *Catholicum* nominat, atque pro doctis, ut ait, & Theologis scribens scribit idiomate germanico, ut illudat, ac simplicibus imponat. Catholicus siquidem est non tantum *cum triginta*, sed trecentis & plusquam millenis exceptionibus. Frustra igitur Catholicorum Theologorum huic suo operi applausum expectat, quod Ecclesiam Catholicam tam enormiter lædit, ac tam turpiter victorias & triumphos canit coronatæ improbitati

Causa;

Causa, quæ nos impulit, quod non solum contra priores Catholicos Infallibilitatis modificatores in aciem progredi, sed & huic autori conum superbiæ deiicere statuerimus, fuit, ut duo nostræ Historiæ Volumina congruo nexu copularentur. Primum enim Volumen tractat de Revelata tam antiquæ, quam novæ Legis Religione signanter *de Ecclesia* à Christo fundata. Alterum, cui res obstupescendas hoc illuminato Sæculo gestas inseruimus, agit de ejusdem Ecclesiæ Hierarchia, & amicabili cismontanæ Doctrinæ cum ultramontano systemate compositione. Jam vero, quia *Infallibilitatem*, sine qua pro moderna Providentia nec Ecclesia, neque ipsius Hierarchia subsistere potest, *plane supposuimus*, utpote, à nullo unquam Catholico impugnatam, accedente etiam altiori voluntate necessarium omnino duximus, Errores contra Ecclesiæ Infallibilitatem serpentes celeri pede obterere, talique marte dicto utrique Volumini consulere. Præsens igitur singularis pertractatio erit appendix Voluminis primi, & prodromus, seu janua secundi.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

APPENDIX HUIUS PRIMI ET PRODROMUS VOLUMINIS SECUNDI.

Hæc, quæ Volumine primo Attulimus Autoritatum pondera, si quis æqua lance trudinaverit nunquid mox cum D. Augustino *Lib. de Utilit. cred. cap. XVII. Edit. Basil. Frob.* exclamabit: „ cum „ igitur tantum auxilium Dei, tantum profectum, „ fructumque viveamus, dubitamus nos eiusdem „ ECCLESIÆ condere gremio, quæ usque ad „ confessionem generis humani ab apostolica sede „ per successiones Episcoporum frustra hæreticis „ circumlatrantibus & partim plebis ipsius judicio „ partim conciliorum gravitate, partim etiam „ Miraculorum Majestate damnatis, columen Au„ toritatis obtinuit? „ Clariss. Justinus Febronius, ut ad huius Ecclesiæ gremium Protestantes redeant, *jura Episcoporum in Apostolica sede præsidentium restringenda*, alii vero duo Viri eximii *Infallibilitati Ecclesiæ arctiores limites ponendos esse* existimaverunt. Febronii systema non tantum à

Catholicis, ſed & Proteſtantibus reiectum fuit. Quid de Poſteriorum auſu cenſeri debeat, mox inſinuabimus. Iuxta ordinem. 1mo. ECCLESIÆ AUTORITATEM INFALLIBILEM divinis auſpiciis fundatam exhibebimus talem, cujus 2do SCRIPTIS ET DICTIS fides ſupernaturalis neque à Judæis, neque ab Ethnicis, ſeu Paganis DENEGARI POTUIT. 3tio. NEQUE ACTU POTEST ab iis, qui ab Ejus gremio exeunt, aut abierunt. 4to. VIAM ET CAUSAM, ob quam Proteſtantes Illius ſinui ſeſe denuo immergant, dabimus. 5to. OBSTACULA, quæ duo clariſſimi viri poſuere, complanabimus, Talique marte 6to. excuſſis atrociſſimis hoſtibus *Eccleſiæ Infallibilitatis*, primum greſſum movere licebit ad ineundam ulteriorem Catholicorum Doctorum Concordiam Volumine ſecundo ſtabiliendam.

§. 1. Eccleſiæ Autoritas divinis auſpiciis fundata.

I. „ Vidi Sanctam civitatem Jeruſalem „ *novam deſcendentem de cœlo* “ ſunt verba S. Joannis Apoſt. Apocalipſeos XXI. Hæc eſt illa civitas *duodecim portis* ſpectabilis, quam triumphali pompa SOPHONIAM noſtrum intraſſe ſuperius commemoravimus. *Duodecim portarum nomine.*

S. Auguſtinus in Pſalmum LXXXVI. duodecim Apoſtolos intelligit, & erudite percunctatur:

„ quare

„ quare sunt *Portæ?* quia per ipsos intramus in
„ Regnum Dei. *Prædicant* enim nobis: & cum
„ per ipsos intramus, per Christum intramus.
„ Ipse enim est janua. Et cum dicitur *duodecim*
„ *portæ Jerusalem, & una porta Christus:* & ideo
„ duodenarius numerus Apostolorum. Sacramen-
„ tum est cuiusdam universitatis, quia per totum
„ Orbem terrarum futura erat ECCLESIA. Par-
„ tes autem Mundi quatuor sunt, Oriens, Occi-
„ dens, Aquilo & meridies. Istæ quatuor partes
„ assidue nominantur in scripturis ab istis quatuor
„ ventis, sicut dicit Dominus in Evangelio, *à*
„ *quatuor ventis se collecturum electos suos*: ab om-
„ nibus ergo istis quatuor ventis vocatur ECCLE-
„ SIA. Quomodo vocatur? utique in TRINI-
„ TATE vocatur. Non vocatur nisi per Baptis-
„ mum in nomine Patris, & Filii, & spiritus
„ Sancti. Quatuor ergo Ter ducta duodecim
„ inveniuntur „

II. Interea, quia *sine fide impossibili est placere Deo*, accedentem ad Baptismum CREDERE oportet, & sic Ecclesiam ingredi: *credere* enim *oportet accedentem ad Deum.* Quæ Causa erat, quod MOTIVA SUPERNATURALIA CREDIBILI-tatis *non minus, quam innegabilia* tanta, tamque magnifica pro ECCLESIA produxerimus, ut quilibet sanæ mentis homo Eandem ORACULUM

esse intelligat æternæ veritatis, atque Dei omniscii per Ipsam loquentis, sicque genuinum habeat MOTIVUM FIDEI credendi ea omnia, quæ hæc determinata Ecclesia credenda proponit, QUIA DEUS REVELAVIT. Neutiquam confugimus ad motiva credibilitatis *humana* & *naturalia* (nisi quis conditiones brevias, v. g. famam, historias, aures, & oculos, ut illa legi & audiri valeant, aliaque huiusmodi cum *motivis credibilitatis* velit confundere) sed ad talia, quæ in divinis & supernaturalibus auspiciis fundantur, ut fidei supernaturalis motivum non ad alia, quam ad Dei loquentis & operantis autoritatem unice referri possit & valeat. Eia! capiamus huius notabilis veritatis adhuc semel experimentum.

III. „ *Quid est Christus?* dicit Paganus (ita „ in formalibus S. Augustinus *Tract. XXXV. in* „ *Joannem*) cui respondemus, *quem prænun-* „ *tiaverunt Prophetæ:* “ Nempe Paganum Christi notitia & Christianæ Ecclesiæ *origine* imbuendum esse prætendit, ut hunc divinum esse intelligat ex Prophetarum Oraculis, „ *quia Christo prophetando* „ integra gens una deputata est, cujus Reipublicæ „ tota administratio Prophetia esset illius Regis „ venturi. *cit. Lib. I. de Consens. Evang. cap. XI.* “ Etenim, istud est motivum vehementissimum, viresque naturæ transcendens, ex quo elucet Dei

Præsci-

Præſcientia & virtus omnipotententis, „ quod „ tuemur (ait Euſebius *Præpar. Evang. Lib. I.*) „ hebraicarum littararum teſtificatione, in quibus, „ cum ante multos annos hebræi Prophetæ bono- „ rum promiſſionem omni mortali generi prædi- „ caverint, nominatim CHRISTI appellationis „ meminerint, ejusque adventum ad homines „ vaticinati ſint. “ Nullum patet effugium. Enim vero ſive quis, veluti Judæi antiquæ Legis ſcripturas veneretur, ſive non, quemadmodum Pagani & Ethnici: certo tamen, quam primum tam multa Vaticinia & prædictiones ad unam omnes impletas eſſe intelligit, ſuſpendere jam non amplius poterit ſuum judicium, ſed ob tam violentum credibilitatis à Deo ipſo proveniens motivum eo rapietur, ut firmiſſime credat, Chriſtum Salvatorem eſſe, & huius Eccleſiam firmiſſimum felicitatis & veritatis portum. „ Quis enim eſt (quærit Seneca *Suaſ. IV.*) „ qui futurorum ſcientiam ſibi vindicet? novæ „ oportet ſortis ſit, *qui jubente Deo canat.* “ Et Lamblicus magnus inter ſuos nominis Philoſophus *Sect. III. libr. de Myſter. cap. I.* aſſeverat: „ PRÆSCIENTIA certe nihil eſt ex omnibus, quæ „ generantur, nec ad modum philoſophicæ muta- „ tionis efficitur, ſed nec inventa eſt, nec excogi- „ tata, tanquam ad vitæ uſum neceſſaria. In univer- „ ſum nihil in ſe humanum habet, ſed divinum aliquid

„ & ſupernaturale. “ Concludit: „ *Ergo* eſt im-
„ poſſibile indicare certos eventus, cum omnium
„ cauſarum concurſum comprehendere nequea-
„ mus, niſi per inſpirationem divinam id aſſe-
„ quamur. “ Pariter Cicero *de Divin. Leg. Lib. XI.* affirmat, „ ſi quis Talis eſſe poſſit, qui colliga-
„ tionem cauſarum omnium perſpiciat animo,
„ nihil eum profecto fallit, futura tenebit, quod
„ facere nemo niſi Deus poteſt. “

Deus ipſe apud Iſaiam *cap. XLIV.* 7. ita locutus eſt, „ quis ſimilis mihi, qui vocet, &
„ annuntiet, & ordinem exponat mihi ex quo
„ conſtitui populum antiquum; ventura, & quæ
„ ventura ſunt, annuntiet eis- “ Et rurſus *cap XLVIII.* 13. „ Priora & tunc annuntiavi,
„ & ex ore meo exciderunt, & audita feci ea,
„ & repente operatus ſum, & venerunt. Prædixi
„ tibi, ne forte diceres, idola mea fecerunt
„ hoc, & ſculptilia mea, & conflatilia manda-
„ verunt iſta. “ Imo vero idola & conflatilia per Eccleſiæ & Chriſtianæ Religionis Satores deſtructa & penitus exterminata fuerunt, ut eo efficacius virtus altiſſimi veluti ſol inter nebulas coruſcaret, & illuminaret *ſedentes in tenebris & in umbra mortis.* „ Ecce! Ego, dicit Dominus per
„ Jeremiam Proph. *cap. XVI.* 16. *mittam* PISCA-
„ TORES *multos, & piſcabuntur eos.* “

§. II.

§. II. Scriptis & Dictis Eorum neque Judæi, neque Ethnici fidem supernaturalem poterant abnegare.

IV. Non jam opus est Mira & naturam plene transcendentia, quæ iidem PISCATORES, nimirum Apostoli, & pastores in hunc finem operabantur recensere. Ipsa mirifica *Doctrinæ propagatio* 2*do*. *Mysteriorum sublimitas* & 3*tio*. *Legum Sanctitas* tam sublime promovebant opus. Examinemus breviter singula. Ji igitur Piscatores hominum in universum orbem missi, Ecclesiam non obstantibus immensis difficultatibus collegerunt. „ Tu autem, quis quis es, diligenter con„ sidera (sic S. Chrysostomus *Homil. XIV. super* „ *Matth.* 10.) qui hæc ardua & laboriosa aggre„ diuntur: Formidolosi scilicet & indocti, illi„ terati, rudes, obscuri quidam homines & ignoti, „ qui nunquam Philosophorum perceperunt insti„ tuta, nunquam in forum descenderunt, pisca„ tores & publicani, multis repleti rebus, quæ „ jure animos illorum potuissent deiicere. Nam, „ si magnos & claros viros tanta difficultas rerum „ potuisset commovere, quomodo non potuit „ imperitos homines, quibus nullius rei magnæ „ aliquid venit in mentem, sed non deiecit, „ neque turbavit. Quæ vero in omnibus his fuit

» consolatio? *Sola mittentis virtus*, qua mundum
» vincere, & Inferni potentiam ipsam potuerunt
» constringere. "

V. Et quæso! quæ fuit *Mysteriorum sublimitas*, & quænam adoranda *Doctrinæ Sanctitas?* Mysteriorum Sublimitas ita se habet, ut à nemine mortalium non modo excogitari, ad hunc modum fingi, sed ne quidem intelligi queant, nisi mens cœlesti ac divino jubare collustretur. Hujusmodi divina caligine ac lucis plena exsplendescunt dogmata Ecclesiæ Christianæ sequentia. Augustissima Mysteria adorandæ Trinitatis atque ineffabilis ἑνσα ζκώσεως τε λόγε doctrina de lapsu hominis; de expiatione Delictorum nostrorum per incomprehensibilem Filii Dei victimam; de abscondita & sapientissima Sacramentorum dispositione & Natura, de Resurectione ex mortuis, judicioque extremo, aliisque.

Legum & Doctrinæ Sanctitas ita est comparata, ut non nisi ex sanctissima Dei mente ortum trahere potuerit. Omnis namque aut legis, aut doctrinæ, moraliumque sanctitas eo perfectior est, quo propius ad naturam ac voluntatem Numinis supremi accedit. Ejus quippe bonitas, majestas, rectitudo & perfectio ideam non modo & exemplar, sed fontem quoque atque origínem omnis Sanctitatis propinat. Non igitur de sola

hominis

hominis ſalute agitur, ſed, ut *cognoſcat Deum Patrem & quem miſit Jeſum Chriſtum*, fiatque perfectus, *ſicut Pater ipſe cœleſtis perfectus eſt.*

VI. Conſideremus igitur glorioſos in hac vinea electa, in hac ſancta civitate, ſeu Eccleſia primos operarios, ſive VERBUM DEI *prædicantes*, ſive *redigentes in ſcripturas*, ubivis elucebit Dei virtus & virtutis ſupernaturalis operatio. Poteſtas in dicendo erat prorſus incredibilis, quam in animos hominum exercuere. Nec mirum, virtus enim verbi divini *malleo eſt ſimilis conterenti petram. Jeremiæ XXIII.* 29. ac penetrabilior omni gladio ancipiti ad medullas pertingens *ad Hebr. IV.* 12. Nulla certe dicendi ars cum Verbi divini prædicatione apoſtolica comparari poteſt; alia enim perſuadendi efficacia eſt, & animum movendi, affectusque ciendi, qua Pericles, Demoſtenes & Tullius, aliique exornati erant: alia potentia corda immutandi, innovandi, novisque & naturæ modum excedentibus facultatibus, viribusque inſtruendi, quæ Præconibus noſtris propria fuit & tantum divina: Hinc non dubito, nec miror, quod S. Auguſtinus *Paulum Prædicantem videre* Romæ triumphanti prætulerit.

Quia vero *ex iis, quæ dicta ſunt*, plurima in ſcripturas redigere oportuit, Pari modo Apoſtolos, ac apoſtolicos viros non niſi ſpiritus ſancti inſpiratione

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

tione veræ Religionis dogmata litteris expressisse, in comperto est. Porro, per *Inspirationem* intelligimus immediatum & singularissimum cum Amanuensibus ad scribenda Mysteria & Doctrinas excitatis concursum spiritus sancti, quo eorundem & voluntatem impulit, ut prompte scriberent, mentemque illuminavit, & suggestione rerum vocumque Consignandarum replevit, ut intelligenter scriberent, atque ad captum hominum, & manum direxit, ut infallibiliter scriberent, nec tamen plus conferrent ad ipsam scripturam, quam *calamus* velocis scribæ, seu *velociter scribentis. Psal. XLV.* 2.

Adeoque Deus πνεῦμα suum cum verbo aut mente sua inspiravit Scripturæ. Neque scriptura esset VERBUM DEI, si absque spiritus sancti inspiratione concepta & scripta fuisse supponeretur sed aliunde suum esse haberet, & existeret. Merito igitur à doctissimis viris reprobata & nominatim ab Universitatibus Duciacensi, & Lovaniensi censurata fuit sequens Dm. Hamelii ac Lessii Propositio, „ Librum humana tantum industria „ sine supernaturali Spiritus Sancti assistentia scrip„ tum *Sacram Scripturam* fieri, si primum postea „ attestaretur, in illo libro nihil falsum contineri.“ Non enim (prout S. Augustinus *Epist. XIV.* docet) ullius hominis libris tantum deferri potest, quantum divinis litteris, *non ob veritatem*, *quæ* PAR

EST

EST *in utrisque*, ſed ob verba phraſimque dictantis, qui *eſt Spiritus Sanctus*. Maiorem ſane requirimus Reſpectum erga Sacros in Canonem ſacroſancte relatos Libros; Neque *nudæ veritatis* habenda eſt ratio, ſed QUIS & *quomodo* eandem propoſuit. „ IPSE hæc ſcripſit, ait S. Gregorius M. „ *in Job*, qui hæc ſcribendo dictavit. “ Et S. Auguſtinus *cit.* ex ſpeciali Dei providentia factum fuiſſe tenet, „ quod duo Evangeliſtæ Apoſtoli „ fuerint, SS. Joannes, & Matthæus, qui res „ ut viſas narraverunt, alii duo econtra non apo- „ ſtoli fuerint, qui res non ut viſas, ſed ut ab aliis „ auditas, SS. Lucas & Marcus deſcripſerunt, ut „ inde colligatur Hiſto-riæ Evangelicæ veritatem „ non ex Scriptorum Sacrorum viſu vel auditu „ manare, ſed ab ipſo ſpiritu Sancto. “

„ Nihil hic ſcriptum eſt (inquit S. Chryſoſt. „ *Homil. XXII. in genes*) quod non multas „ habeat ſenſuum divitias, quandoquidem divino „ ſpiritu afflati Prophetæ locuti ſunt, neque vel „ ſylaba vel apiculus eſt in Sacris litteris, in cujus „ profundo non ſit grandis Theſaurus. “ S. Hieronymus in *cap. VI. Matthæi* affirmat: „ ſinguli „ ſermones, ſylabæ & abices & puncta in di- „ vinis Scripturis plena ſunt ſenſibus: & in *Epiſt.* „ *ad Paulinum* ait: *ſola Apocalypſis Joannes tot* „ *habet* SACRAMENTA, *quot verba.*

Pare-

Parenesis circa Libros Canonicos, & Traditionem.

VII. Κανὼν *Regulam* significat, seu *normam*; atque ideo *canonicum* esse denotat librum, vel scripturam á Deo inspiratam, consignatamque, cum nihil in sensu proprio Regula & forma *Fidei Morumque* esse possit, quod non à deo ipso per Revelationem proveniat. Fides enim est *sperendarum substantia rerum, argumentum non aparentium.* Ad *Hebr. XI.* Pariter ea, quæ ad vitam, pietatem, & mores spectant, non nisi per revelationem illius habemus, „ qui vocavit nos propria gloria „ & virtute: per quem maxima pretiosa nobis „ donavit: ut per hæc efficiamur divini consortes „ naturæ, fugientes ejus, qui in mundo est, „ concupiscentiæ corruptionem. *II. Petr. I.* 3. 4. “ sic docent omnes Catholicorum Theologi Calmet, Petus Annatus, Melchior Canus O Prædicat. Insulanum Fortunatarum Episcopus. Clariss. Gulielmus Estbius *Comment. ad II. Tim.* qui ait: „ Recte & verissime statuitur omnem *Scripturam* „ Sacram & Canonicam spiritu sancto dictante „ esse conscriptam. “ Ita Protestantium quoque Doctores Christoph. Matt. Pfaffius *de Formula consensus p.* 22. Castell *de verit. Revel. Christ. P. II. sec. III.* Joann Friderich Stein *in suis*

Con-

Considerationibus &c. qui cum *cit.* Annato *Lib. II. Art. IV.* ita statuit. „ Libri *Canonici* à Canone „ *Catalogum* significante dicuntur hi, *qui in Ca-* „ *none Ecclesiæ, divinam Scripturam determinante,* „ *sunt expressi* UT DIVINI, *seu à Deo inspirati.* „

VIII. Cœterum, Pro divinis Scripturis alium fuisse Hebræorum synagogæ, alium esse Ecclesiæ Christi Canonem incomperto est. Hebræi enim in suo SS. scripturæ Canone tot numerabant S. scripturæ Libros (ut S. Hieronymus in Prologo galeato refert) quot in suo Alphabeto litteras numeraverunt, nimirum viginti duos. Idipsum testatur Flavius Josephus, qui *Lib. I. contra appionem* ita habet: „ sunt apud nos solumodo *duo &* „ *viginti libri* habentes temporis totius conscrip- „ tionem, quibus juste fides admittitur. Horum „ quidem quinque sunt Moysis, qui nativitates „ continent, & humanæ generationis traditio- „ nem habent usque ad ejus Mortem. A morte „ vero Moyses usque ad Artaxerxem Regem, qui „ fuit post Xerxem, Prophetæ suorum temporum „ res gestas conscripserunt in tredecin libris. „ Reliqui vero quatuor hymnos in Deum, & „ vitæ humanæ præcepta videntur continere. „ Ab Artaxerxe vero usque ad nostrum Tempus „ singula quidem scripta, non Tamen prioribus „ simili fide sunt habita, *eo, quod non fuerit suc-*

cessio

„ *cessio certa Prophetarum*, „ unde Synagoga, aut Synedrion ultimo tempore jam aliunde positum extra Activitatem, „ tanto sæculo jam præterito, „ neque adiicere quidquam aliquid, nec auferre, „ nec transformare præsumpsit. „

Ex quo sequitur, *Non*, *quod Synagoga non potuerit*, *prioribus vigniti quinque libris hos*, *posteriora tempora describentes*, *libros* addicere, *eosque Canonicos declarare*, sed, quod id factum fuerit, tantum ideo, quia defecit *certa illo tempore successio Prophetarum.* At vero, surrexit Propheta magnus in Israel, Cujus reliqui digni minime fuerunt corrigam calceamentorum solvere, JESUS CHRISTUS Dom. Deus noster, qui optime sciverat, quinam fuerint illi, per quos Pater cœlestis loqui voluerit. Eidem ergo *Divinitatis* librorum istorum *declaratio* neutiquam interdicta, sed potius cum pluribus aliis est reservata. Neque bona est consequentia: Christus apud Joannem & Lucam dixit: *quomodo scriptum est in lege?* — *scrutamini scripturas.* Ergo, cum priores libros in canone Judeorum positos approbavit, posteriores reiecit; sed ita concludere oportet: quia hos posteriores libros jam apud Judeos magni habitos ECCLESIA in canonem suum recepit, Christus Eidem Sponsæ suæ scripturas illas à Spiritu Sancto æque, ac priores dictatas fuisse, certa & infallibili orali traditione reliquit. Unde

Unde valde notandum eſt, quod, licet Judæorum Canon libros *Tobiæ*, *Judith*, *Sapientiæ*, *Eccleſiaſtici*, *& Machabeorum* omiſerit, ſemper verum maneat illud Oſii Cardinalis effatum: *non Canon hebræorum, ſed Eccleſia canonicas facit ſcripturas.* Neque moveat, quod quidam Sanctorum Patrum de his libris memoratis dubitaverint, *an vere Canonici ſint.* Varii enim, ut mox audiemus, Libri ante S. Innocentium I. & ipſummet Niconum I. generale Concilium pro Canonicis circumferebantur, expectandum ergo erat, donec de univerſæ Eccleſiæ judicio conſtaret. Placeat hac ſuper re inſtructiſſimum audire S. Hieronymum. Is rogatus, ut libros Tobiæ & Judith ex Caldæo in latinum transferret *Epiſt. ad Chromatium & Heliotorum*, ſequentia ſcripſit: „Arguunt „ nos hebræorum ſtudia, & imputant nobis, „ contra ſuum Canonem latinis auribus iſta trans- „ ferre (nimirum Tobiæ hiſtoriam) ſed melius „ eſſe judicans *Phariſæorum* diſplicere judicio, *&* „ *Epiſcoporum juſſioni deſervire*, inſtiti, ut potui.„ Idem S. Doctor *in Præfat. ad Libr. Judith* ita loquitur: „ Apud Hebræos libr Judith inter „ Hagiographia legitur. — Sed quia hunc librum „ Synodus Nicena in numero Sanctarum ſcriptu- „ rarum legitur computaſſe, aquievi poſtulationi „ veſtræ, imo & exactioni: & ſepoſitis occu-

„ pati-

„ pationibus, — ſola ea, quæ intelligentia
„ integra in verbis chaldæis invenire potui, la-
„ tinis expreſſi. Accipite JUDITH viduam caſti-
„ tatis exemplum, & triumphali laude perpetuis
„ eam præconiis declarate. Hanc enim non ſolum
„ fœminis, ſed viris imitabilem dedit, qui caſti-
„ tatis ejus remunerator, virtutem ei talem tri-
„ buit, ut invictum omnibus hominibus vinceret,
„ & inſuperabilem triumpharet. “ Quæ clare
demonſtrant, quod Epiſcopi non ad Synagogam
ſed in Eccleſiam potius (manu forti & brachio
extento ſuſtentatœ) ſuos oculos intenderint, &
ex citiori, vel tardiori receptione librorum, Illi
Porto - canonici hi vero *Deutro - canonici* nomi-
nati fuerint.

IX. Veniamus modo ad Novum Teſtamentum,
nam, *utriusque Teſtamenti autor eſt Deus.* Etiam
hic aquieſcendum eſt Eccleſiæ Autoritati. Ubi
ante alia S. Auguſtini regulam, quam contra Do-
natiſtas *Lib. IV. de Baptis, cap. XXIV.* poſuit,
ponderari meretur. „ Quod univerſa, ait, EC-
„ CLESIA tenet, nec à Conciliis inſtitutum, ſed
„ ſemper retentum fuit, non niſi traditone Apo-
„ ſtolica traditum rectiſſime creditur. “ Sed
diſcrimem notemus inter Traditiones *pure Apo-
ſtolicas*, & *Apoſtolico - divinas* enimvero, ſacra an-
tiquitas traditiones divinas non nunquam vocat
apoſto-

apoſtolicas, & traditiones *Apoſtolicas* haud raro divinas: Interim id tantum reſpectu earum traditionum practicaſſe dignoſcitur, quæ ſunt *Apoſtolico - divinæ*. Ut autem dignoſcere valeamus & diſcernere traditiones *pure* apoſtolicas ab Apoſtolico - divinis, debemus attendere *ad ſubjectam Materiam*, de qua procedit ſermo. Si quid ab Apoſtolis deſcendens *poteſtatem humanam* non tranſcendat, v. g. obſervatio jejunii quadrageſimalis, tunc traditio eſt *pure* Apoſtolica, quæ ab Apoſtolorum Succeſſoribus poteſt immutari. At vero ſi quidpiam ab Apoſtolorum temporibus ſemper retentum, nec à Conciliis inſtitutum, ab Eccleſia tamen ſemper obſervatum fuit, taleque ei quidpiam annexum, quod *vires humanas* omnino excedit, ſed à Deo ſolo concedi poteſt, v. g. *gratia* in baptiſmo parvulorum, & in noſtro propoſito *Divinitas* ſacrorum Librorum, tunc pro certo concludamus, quod ſimilis obſervatio, non ex traditione pure apoſtolica, ſed apoſtolico - divina ad nos deſcendat, neutiquam ab hominibus immutanda.

Jam vero, Evangelium S. Matthæi octo annis poſt aſcenſionem Domini, illud S. Marci *novem* annis, & quod ſupererat, illud S. Lucæ annis *quatuordecim*, novendecim, aut omnino vigniti novem, illud S. Joannes *triginta duobus*

annis scripta fuerunt, & ab ECCLESIA jugiter custodita: non ergo alia, quam Traditione divino-apostolica ad nos propagari potûere. Huic *primo Evangeliorum Canoni* postmodum addita sunt Acta Apostolorum, Epistolæ Paulinæ, aliorumque apostolorum quæ exstant scripta, nec non S. Joannis Apocalypsis, ut tandem aut circa initium sæculi II. aut certe circa medium illius totus Novi Testamenti Canon ex integro constitutus fuisse credatur.

Origines in Homilia *in librum Josue* hæc omnia mirabili ac omnipotente Christi virtute acta fuisse contendit, ac inter Eundem Salvatorem & Ducem JOSUE, superbum muris suis Jerichuntem ad ima deiicientem, paritatem instituens ita perorat. „ Veniens ergo Dominus noster JESUS „ Christus, cujus Josue designavit adventum: „ Mittit Sacerdotes & Apostolos suos portantes „ tubas ductiles, prædicationis magnificam, cœ- „ lestemque doctrinam; Sacerdotali tuba in Evan- „ gelio suo Matthæus increpuit, Marcus quoque, „ Lucas & Joannes suis singulis tubis Sacerdota- „ libus cecinerunt. Petrus etiam duabus Episto- „ larum suarum personat tubis, Jacobus quoque „ & Judas & Joannes per Epistolas & Apoca- „ lypsin, & Lucas Apostolorum gesta describens; „ Novissime autem ille veniens qui dixit: *Puto* „ *autem, quod nos Deus novissimos ostendit Apo-*

„ *stolos*,

„ *ſtolos*, & in quatuordecim Epiſtolarum ſuarum
„ fulminans tubis, muros Jericho, & omnes
„ idololatriæ Machinas & Philoſophorum dogmata
„ uſque ad fundamenta dejecit. „

Hæc plane alia important, quam quas *de Machometismo* Hiſtoria refert, & fama per orbem ſua tuba divulgat devictas nationes, & ferro, flamma que depopulatas provincias, ex quibus ne unicum quidem credibilitatis motivum adparet, quod hominem prudentem movere poſſet, ut divinæ veritati innixus vana illius & naturæ corruptæ adulantia dogmata credat. At vero ECCLESIA à ſponſo ſuo tot motivis credibilitatis ſupernaturalibus dotata per Apoſtolos, & quos iidem per Regna, Provincias & per civitates conſtituere præsbyteros non igne aut gladio uſa eſt, ſed inter continuas perſecutiones, & ſuorum martyria, atque ex omni ætate & ſtatu ſanguinis profuſiones, nullis humanis armata viribus, ſed divinis ſcriptis & verbis, humanæ tamen inclinationi inimicis, atque ex aſſe contrariis, tempore brevi, in toto habitabili Orbe Ethnicis oculos, & obduratos pertinacium Judæorum aures apperuit, ut & ipſi cœleſtis & indubiæ veritatis teſtimonium deferrent. Et hoc demum, ſi Apoſtoli & viri Apoſtolici nullum patraſſent miraculum, uorum tamen innumera patrarunt, merito appellari poteſt,

& agnoſci debet Miraculum Miraculorum omnium; ſcribente ita præclare S. Auguſtino Doctorum aquila & ornamento.

§ III. Etiam Illi, qui ab hac Eccleſia exierunt, tenentur Ei faſces deferre, & quæ credenda proponit, credere.

X. Longe alio marte pugnandum eſt contra eos, qui ab hac Eccleſia, matre ſua abierunt. Vix naſcebatur Eccleſia, & varia jam Dogmata ab Hæreticis & pſeudophiloſophis excogitata fuerunt, & hominibus cum ipſo SS. litterarum abuſu obtruſa. Interim, „ ad hæc usque tem„ pora (ad ſæculi nimirum ſecundi periodum, „ teſte Hegeſippo) ECCLESIA munda & in„ contaminata Virgo permanſit, hæreſiarchis „ prioribus & corruptoribus veritatis noctua„ rum inſtar deliteſcentibus: at ubi Evariſtus ad „ apoſtolicæ ſedis apicem evectus eſt, & Apo„ ſtolorum Chorus, atque omnis illa ætas, „ quæ a Domino vivæ vocis auditum ſuſceperat, „ ex hac luce deceſſit, „ tunc variorum adhuc peiorum Dogmatum feralis turbo ſuis veluti è tenebris emerſit. Aſt gemino Eccleſia agitata furore Philoſophorum ſcilicet & Hœreticorum,

gemino

gemino etiam divinæ Providentiæ clypeo Doctorum & SS. Pontificum evasit Victrix. Falluntur igitur, qui putant, *sacram scripturam*, *Traditionem*, *imo & Evangeliorum*, *aliorumque Apostolorum Libros semper*, *ubique*, *omnes* debito in honore habuisse: „ Pro certo hoc dicimus, Traditio Apostolica, „ Apostolico Divina, sacri Libri, & sacrorum „ Librorum ac textuum & verborum sensus fal- „ sis expositionibus sacrilego ausu á malis homi- „ nibus contaminati fuerunt, sic, ut neque sa- „ cris libris, nec Evangelio ipsi credere posse- „ mus, nisi Deus optimus maximus sua Provi- „ dentia & infinita bonitate de MEDIO quodam „ DIVINO, ac INFALLIBILI nobis prospexisset, „ ne essemus parvuli, qui panem non habent, „ & non possunt illum frangere: Naviculæ libe- „ ro mari expositæ, quæ omni ventu circumfe- „ runtur. „ Age! Proferamus.

Exempla vulgatissima.

XI. Nihil nunc proferam de subtlesta, cui vel ipsus S. Cyprianus nimium fidit, TRADITIONE, defendentis ex eâ, *Baptismum hæreticorum esse invalidum.* „ Non solum utique (cum S. Au- „ gustino *Lib. de Unit Eccl. fol.* 355. *Edit Basil.* „ loquor) malos Catholicos ullo modo, sed nec „ bonos facile comparamus B. Cypriano, quem

„ inter raros & paucos excellentissimœ gratiæ
„ viros numerat pia Mater Ecclesia, & per Eum
„ minus aliquid videntem, seu in aliquo erran-
„ tem, *in Unitate tamen* firmissime perseveran-
„ tem manifestius demonstratur hœreticis, quam
„ sacrillego scelere rumpatur vinculum pacis.
„ Nemo mihi dicat (exclamat sanctissimus Præsul
„ *loc. cit.*) quia nec Catholicis Episcopis con-
„ sentiendum est: sicubi forte falluntur, ut con-
„ tra Dei canonicas scripturas (quemadmodum
„ immediate *de libris Veteris Testamenti* dictum
„ fuit) aliquid sentiant. Sed, si *custodito unita-*
„ *tis & Charitatis vinculo* in id incidunt, *fiet in*
„ *Eis*, quod Apostolus *ad Philippenses III.* 16.
„ ait: *&, si quid aliter sapitis, hoc quoque Deus*
„ *vobis revelabit.* "

Multo minus Quartodecimanorum contra veram Traditionem pugnantium ausus adducam, & falsæ Traditionis obstinacem defensionem, sed mox ad SS. *litterarum abusum*, & ad SS. librorum, imo ipsorum quatuor Evangeliorum manifestum, *ne in suspicionem suæ divinitatis venirent*, palmare periculum, mentes nostras convertamus & oculos. *Duo* Puncta.

XII. Quoad primum monet S. Hilarius:
„ memento, neminem hœreticorum esse, qui
„ se non secundum scripturas prœdicare, ex

„ quibus

„ quibus blasphemat, mentiatur. “ De Donatistis S. Augustinus *Lib. II. contra Epist. Parm. cap. I.* fatetur, quod *omnia scripturarum testimonia* veluti Tela in Catholicos *iacere* præsumpserint. De Manichæis & semipelagianis, quomodo SS. litteris abusi sint, in libris hujus invicti Prœlulis vestigia occurrunt ubique. Vigilantium S. Hieronymus *Epist. LVII.* ita obiurgat: „ inter cœteras quip-
„ pe blasphemias, quas ore sacrillego protulisti,
„ ausus es dicere, *montem*, de quo abscissus est
„ in Daniele lapis sine manibus esse *diabolum*, la-
„ pidem vero *Chrisum*. De Tichonio ex Cassio-
„ doro sequentia profert Caveus Anglus *fol.* 181.
„ Scripsit commendarium in Apocalypsin S. Jo-
„ annis, cui plurima venenosi sui Dogmatis fœ-
„ dulenta permiscuit. “ Pariter Apollinaris, *Vir*, ut iterum Gulielmus Caveus *fol.* 159. loquitur, *extra controversiam doctissimus*, in S. Scripturam peccavit, eamque, quemadmodum male intellexit, ita male interpretatus est. „ Quædam verba
„ (dicit S. Gregorius Naz. *Epist. ad Nectar*) ex
„ Evangelio male accipiens ad suæ absurdæ
„ opinionis confirmationem adducit, ita dicens:
„ *nemo ascendit in cœlum, nisi, qui descendit de*
„ *cœlo filius hominis*, adeo, ut priusquam descen-
„ deret, jam fuerit, descenderitque propriam
„ afferens carnem, eam scilicet, quam jam in

„ cœlo habebat *æternam*, *& ſubſtantiæ ſuæ co-*
„ *alitam.* "

Hic Vir, *extra controverſiam doctiſſimus* veram, immediatam revelationem à falſa, ſenſum verum ac genuinum SS. litterarum à ſpurio & reprobato non potuit diſcernere, quid jam ſperes de aliis, quibus non idem eſt mentis vigor & eruditionis copia? quid iſti ſperent, imo, quid ſperent omnes, ubi expendere prius vacuo à præjudiciis animo velint, quot adulterationes & SS. litterarum ſuppoſitiones factæ ſint, quot ardua loca occurrant, quid requiratur, unum debite cum altero conferre, Interpretes diverſos perſcrutari: ubi non ſolum temporis multum, ſed immanis præſidiorum apparatus exigitur, iisque etiam præſtitis, eruditiſſimi aut dubitare, aut in oppoſitas ſententias hucusque ire perexerunt? Quid Porro Iuniores Hereſiarchæ, Ariani, Macedoniani, Neſtoriani, Euthychiani, Monotelitæ, aliique ſubſequentes usque ad noſtra Tempora moliti fuerint, ſcimus. Quare ad prima redeamus ſæcula, & á *SS. litterarum ſenſu* veniamus *ad libros*, atque *ipſa ſacroſancta quatuor Evangelia.*

XIII. Euſebius *Lib. hiſtor. IV. Cap.* 25. ita ſcribit: Severiani „ Legem & Prophetas admit-
„ tunt cum Evangeliis, ſed proprio quodam

ſenſu

„ ſenſu ſcripturas exponunt. PAULUM autem
„ Apoſtolum maledictis impetentes, Epiſtolas
„ Eius repudiant, ac nec actus quidem Apoſto-
„ lorum ſuſcipiunt. “ De Ebionitis S. Irenæus
„ *Lib. I. advers. Hæreſ. Cap. XVI.* Ita loquitur:
„ Ebionitæ ſolo eo Evangelio, quod eſt *ſecun-*
„ *dum Matthæum*, utuntur. “ E contrario de
Pauli *Samoſateni* diſcipulis S. Epiphanius *Hæ-*
reſi. LXII. refert, „ quod errorem omnem,
„ ejusque firmamentum ex apocryphis quibus-
„ dam hauſerint, prœcipue *ab Ægyptiorum Evan-*
„ *gelio.* “ Non enim contenti erant malitioſi
homines ſenſum S. Evangelii verborum, ac
textuum pervertere, niſi etiam ad obſcurandos
veros Evangeliorum libros, ac cauſandam in
Eccleſia confuſionem, vetemoſi ſerpentis inſtin-
ctu, nova Evangelia fingerent, de quibus ſe-
quentia, valde in rem noſtram momentoſa, S.
Hieronymus *in Proœmio commentariorum*, quos
ſcripſit *in Matthæum*, ita habet, „ fuiſſe plures,
„ *qui Evangelia ſcripſerunt*, quæ à diverſis auto-
„ ribus edita diverſarum hœreſum fuere princi-
„ pia: ut eſt illud juxta Ægyptios, & Thomam,
„ & Matthæum, & Bartolomæum, duodecim
„ quoque Apoſtolorum, & Baſilidis & Apellis,
„ ac reliquorum, quos enumerare longiſſimum
„ foret. Hæc tamen in prœſentiarum neceſſe eſt
dicere,

„ dicere, exſtiſſe quosdam, qui ſine ſpiritu &
„ gratia Dei conati ſunt magis ordinare narra-
„ tionem, quam hiſtoriæ tenere veritatem.
„ Quibus jure poteſt illud propheticum coaptari,
„ Væ! qui prophetant de corde ſuo: qui ambu-
„ lant poſt ſpiritum ſuum: *qui dicunt: hæc dicit*
„ *Dominus: & Dominus non miſit eos.* "

Sed quodnam eſt illud donum divinitus cœlo datum, quo LIBROS SACROS à ſpuriis, veros ab apocryphis, canonicos ab extraneis: quo SENSUM GENUINUM & à Deo intentum ab adultero, perverſo atque hœretico diſcernere infallibiliter valeamus? ne dicatur nobis *Dominus hæc dicit, hæc dicit Dominus! & Dominus non fuit locutus.* Dicam immediate. Nec huic determinato ſenſui, neque huic Libro, imo NEC EVANGELIO CREDEREM, NISI ME MOVERET ECCLESIÆ AUTORITAS. Sic ſentit, ſic loquitur S. Auguſtinus. *Lib. de Civit. XXII. Cap. VII.*

XIV. ECCLESIA, quam Chriſtus fundavit, „ quæ (pergit *loc. cit.* maximus in exponen-
„ dis SS. litteris S. Hieronymus:) quæ *Domini*
„ *voce ſupra petram fundata eſt:* quam introduxit
„ Rex in cubiculum ſuum, & ad quam per fora-
„ men defenſionis occulte miſit manum ſuam, ſi-
„ milis damulæ hinuloque cervorum, QUATU-

„ OR

„ OR flumina, paradisi instar eructans: quatuor
„ angulos & annulos habet, per quos quasi arca
„ Testamenti ET CUSTOS LEGIS DOMINI,
„ lignis immobilibus vehitur, “ ECCLESIA Domini voce *supra Petram fundata*, romana nimirum *maxima & antiquissima*, aliæque Eidem suo veluti Capiti Sacro unionis nexu conjunctæ, unam & universalem constituentes Ecclesiam, de SS. Evangeliis, de reliquis canonicis libris, & legitimo eorum sensu securos nos reddunt. Age (inquit *Lib. de Præscript.* antiquiss. TERTULIANUS *pag.* 101.) qui de Sacris Libris ANXIUS hœres, „ age qui voles curiositatem melius
„ exercere in negotio salutis, percurre Ecclesi-
„ as Apostolicas, — apud quas *authenticæ eorum*
„ *litteræ* recitantur, sonantes vocem, reprœsen-
„ tantes faciem. Proxime est tibi Achaia, habes
„ Corinthum, si non longe à Macedonia habes
„ Philippos: si potes in Asiam tendere, habes
„ Ephesum, si autem Italiæ adiieceris, habes
„ ROMAM. Unde nobis quoque Autoritas præ-
„ sto est statuta. “

Verum enim vero „ quoniam valde lon-
„ gum est, sunt verba aurea S. IRENÆI *Lib. de*
„ *hœres Cap. III.* in tali volumine omnium Eccle-
„ siarum enumerare successiones, *maximæ &*
„ *antiquissimæ & omnibus cognitæ*, à gloriosissimis

„ duobus

„ duobus apoſtolis Petro & Paulo *Romæ* funda-
„ tæ & conſtitutæ Eccleſiæ, eam quam habet ab
„ Apoſtolis *traditionem & annuntiatam hominibus*
„ *fidem* per ſucceſſiones Epiſcoporum confundi-
„ mus omnes eos, qui quoquo modo vel per
„ ſui placentiam malam, vel vanam gloriam,
„ vel per cœcitatem & malam ſententiam,
„ prœterquam oportet, colligunt, ad hanc Ec-
„ cleſiam propter potentiorem Principalitatem
„ *neceſſe eſt* omnem convenire Eccleſiam. „ At-
que id vel maxime in prœſenti, quam pertra-
ctamus, materia *neceſſe eſt*, quia huic unicæ debe-
mus Romanæ Eccleſiæ Librorum Sacrorum Cano-
nem, quemadmodum Eum S. Innocentius I. P.
R. à ſuis Anteceſſoribus accepit, ab eo autem
ſubſequentes SS. Pontifices, aliique in & extra
Concilia generalia & particularia Epiſcopi ad
noſtra usque tempora ſuſcipientes venerati ſunt,
ac venerantur. Quare ad omnes, qui ab Eccle-
ſia ſeparati ſunt, hœc unica, dirigitur quæſtio:
vel SS. Librorum Canonem, quem Eccleſia vin-
dicavit, acceptent quoad Libros ſaltem, quos
protocanonicos vocant, vel, utrum univerſum
SS. Librorum Canonem reiiciant? Si poſtremum,
tunc cum Ethnicis & publicanis ad motiva Cre-
dibilitatis (quæ ECCLESIÆ à ſuo orgine pro-
priæ ſunt) ſine ambagibus ablegantor. Sin vero

in

in primum consentiunt, sequitur, quod, quemadmodum mirabilem & prodigiosam hujus Ecclesiæ *per totum orbem propagationem* admittunt, ita Eiusdem irrefragabilem & *infallibilem autoritatem* tenantur adstruere.

Ecclesiæ irrefragabilis atque infallibilis autoritas demonstratur.

XV. Gaudemus, quod, vindicato sacratissimo TRINITATIS Mysterio, Ecclesiæ quoque autoritatem pro viribus nostris, temporumque angustiis defendere valeamus. Certe in symbolo etiam apostolorum post Professionem *Patris, Filii & spiritus Sancti*, statim exprimitur *Ecclesia Catholica*, ut postquam professi sumus, omnem spem in Deo uno, Patre, Ejus Filio pro nobis passo, & spiritu S. nos collocare, continuo confiteamur Ecclesiam illam *Catholicam*, seu *universalem per totum orbem diffusam:* quasi nihil post SS. Trinitatem Ea sit prius. Quod pro more suo ponderans S. Augustinus *Epist. contra Manich. Cap. IV.* ita habet: » Tenet me in Ecclesia Catholica ipsum *Catholicum* nomen, quod *non sine* » *causa* inter tam multas hœreses sic ista Ecclesia sola obtinet, ut, cum omnes hœretici » se Catholicos dici velint, quœrenti tamen » peregrino alicui, *ubi ad Catholicam veniatur?*

» nullus

„ nullus hœreticorum vel Basilicam suam, vel „ domum audeat ostendere. “ Et ideo etiam in Concil. Gener. Nicœno I. statutum fuit, ut Ea habeatur ECCLESIA DEI VERA, cui præter alia signa *Catholica* nomen τῆς καθολικῆς Εκκλυσιας conveniret.

XVI. Hic locorum memoriæ occurrit celebris *Collatio Carthaginensis*, quam Catholici Præsules cum Donatistarum Episcopis an. CCCCXI. instituerunt, cujus acta Honorii Imperatoris autoritate in publica monumenta (ut refert *Guliel. fol.* 340.) translata fuerunt, ut robur & perpetuam firmitatem haberent. Ea etiam exhibentur *Tom. I. Concil. Edition. Regiæ col.* 1066. atque inter opera S. Augustini *Edit. Basileensis.* Episcopi Donatistarum maximo numero comparuere, erant enim omnino ducenti quinquaginta & novem, quorum plerique, opera ferme solius Augustini, maxime post hanc memoratam Collationem ad Ecclesiam Catholicam redierunt, sicut non longe post ipse S. Pater *Lib. de gestis cum Emerito* testatum fecerat.

Cal. Junij igitur dicti anni, postquam de qualitatibus litigantium & accusantium disputatum fuisset. S. AUGUSTINUS ad summa rerum descendit. Minime tamen Ipsi (quod statim notari oportet) incidit, quod, si Donatistas *Veteris*

ris & novæ legis textibus aggrederetur, urgeret, & premeret, CIRCULUM VITIOSUM (ut aliquis infra nominandus putat) committat: sciebat enim perbene, Hœreticos, & Novatores quoscunque, si veros sacros Libros habeant, Eos aliunde habere haud posse, quam ab Ecclesia Catholica, Eos proinde ipsis non amplius *probari* debere, sed *supponi*, ita, ut dum per S. scripturam demonstratur Ecclesiæ autoritas, *nullo modo vicissim cum petitione principii* subsistentia S. Scripturæ per autoritatem Ecclesiæ probari debeat. Unde S. Augustinus longe aliter in aciem processit, quam quidam nostrorum nova excogitantes Theologi.

XVII. Ita dixit, sic *Lib. III de unit. Cap. III.* inquiebat: tali modo *Tom. VII. fol.* 374. *Edit. Basil.* locutus est. „ *Non audiamus, hæc dico,* „ *hæc dicis*, sed hœc dicit Dominus. Sunt certi „ Libri Domini, *quorum autoritati utrique consen-* „ *timus, utrique credimus*, ibi quæramus Ecclesi- „ am, ibi discutiamus causam nostram, „ ibi exenteremus qualis, & quanta sit dilecta Salvatoris nostri Sponsa. „ ECCLSIA igitur Christi „ Sanctis Patribus nostris Abraham, Isaac, & „ Jacob & populis omnibus per immitationem „ fidei posteris & Filiis eorum ita divina & ve- „ ridica voce promissa est, ut nulla humana

„ male-

„ maledica possit voce convinci. “ Postea S. Doctor, quando per longum & latum erudite adduxisset Prophetas & Psalmos, sic pergit, „ Propterea ipse Christus quoque Dominus noster, „ qui locutus est antea per ora Prophetarum, „ postquam resurrexit à mortuis jam per os „ proprium *Lucæ XXIV.* de sua Ecclesia dixit: „ *oportebat impleri omnia, quæ scripta sunt in lege & Prophetis & Psalmis de me.* Tunc aperuit Eis sensum, ut intelligerent scripturas, „ & dixit Eis: quia sic scriptum est, & sic oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis tertia die, & prædicare in nomine Eius „ pœnitentiam & remissionem peccatorum *per* „ *omnes gentes*, incipientibus á Jerusalem; atque ideo ascensurus in cœlum prævidens, „ unde fuissent, homines carnales pro suis divisionibus & separationibus ligitaturi, cum „ quæsiissent ab Eo discipuli de fine sœculi, *non* „ *est*, inquit *Actorum I. vestrum nosse tempora*, „ *quæ Pater posuit in sua potestate, sed accipietis* „ *virtutem spiritus Sancti, & eritis mihi testes in* „ *Jerusalem & in tota Judæa & Samaria, &* „ *usque in totam terram.* “

Ideoque Apostoli juxta mandatum salvatoris, & post eos, quos per diversas civitates constituerunt successores, Episcopi & sacerdotes *testimonium*

nium Resurectionis JESU Christi cum sanguinis profusione deposuerunt, *Prædicantes Evangelium* in universo Mundo. „ Evangelizata nobis est „ (ita laudatus *loc. cit. Cap. VI*) Ecclesia per „ totum orbem terrarum futura. Hoc in lege & „ Prophetis & Psalmis prænuntiatum esse ipse „ Dominus testificatus est, qui eam cæpturam á „ Jerusalem, & per omnes gentes *permansuram* „ esse prædixit. Hæc verba facta secuta sunt, „ quomodo cœptum sit á Jerusalem, & dein pro- „ cessum in Judæam & Samariam, & in totam „ terram, ubi adhuc crescit Ecclesia, donec us- „ que in finem etiam reliquas gentes, ubi adhuc „ non est, obtineat, scripturis Sanctis Testibus „ consequenter ostenditur, qui aliter prædica- „ verit, anathema sit. "

XVIII. Quis de Veritate Catholicæ Ecclesiæ, de autoritate infallibili, & irrefragabili, Ejusdem in rebus Fidei & morum plura requirat, cum dicamus: *credo Ecclesiæ, seu Ecclesiam Catholicam*, id est, *per totum orbem Terrarum diffusam?* Verum ulterius: „ Non audiamus, hæc „ dico, hæc dicis, sed hæc dicit Dominus, sunt „ certi libri Domini, quorum autoritati utrique „ consentimus, ibi quæramus Ecclesiam, ibi dis- „ cutiamus causam nostram. " Aperiantur Sacrata isthæc Volumina! MATTH. XVI. ℣. 18. Dicit

 Dominus

Dominus ad Petrum, *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo ECCLESIAM MEAM, & portæ inferi non prævalebunt adversus EAM.* Proinde, quia Ecclesiam docentem Petrus ut Petra, & reliqui Apostoli constituerunt, ad omnes simul congregatos dixit, *qui vos audit me audit, qui vos spernit me spernit*, vos Apostolos & vestros in Episcopatu Successores Successoribus Petri coadunatos, superædificatos, ac Sacro unionis nexu conjunctos, Vos inquam! *Ecce enim*, dicit Dominus MATHÆI XXVIII. 20. *Ego vobiscum sum usque ad interitum Mundi.*

XIX. Differunt quidem Ecclessæ circa fidem & mores DEFINITIONES à S. Scripturæ ORACULIS, quod hæc sint à Deo dictata, illæ vero ab Ecclesiæ Pastoribus, Spiritus S. non dicente, aut loquente, sed assistente, suggerente, inspirante, ac revelante proficiscantur. Conveniunt tamen in eo, quod utraque *divinæ ac infallibili autoritati* innitantur, & faciant, quod Ecclesia quoad utrumque sit *columna & firmamentum veritatis I. ad Timoth. III.* 15. quemadmodum ex manifesto effato Salvatoris apud *Joann XVI.* 13. elucet: „ Adhuc multa, ait, habeo vobis DICERE, sed „ non potestis portare modo. Cum autem venerit „ ille spiritus veritatis, DOCEBIT VOS OM- „ NEM VERITATEM."

XX.

XX. „ Quidnam dicunt (concludamus tandem
„ cum S. Augustino hanc stropham *loc. cit. fol.* 348)
„ quidnam dicunt, qui Christianos se superbissime
„ dicunt, & Christo superbissime contradicunt?
„ Nos hanc Ecclesiam tenemus, contra istas di-
„ vinas voces nullas criminationes humanas susci-
„ pimus. Movet nos plurimum, quod Dominus
„ noster ait, cui non credere sacillegum, & im-
„ pium est, *novissimis verbis suis*, quæ habuit in
„ terra: hæc documenta salubria & novissima
„ reliquit: his enim dictis mox ascendit in cœlum,
„ & præmunire voluit aures nostras adversus eos,
„ qui procedentibus temporibus exsurecturos esse
„ prædixerat, & dicturos: *Ecce hic est Chri-*
„ *stus, ecce illic*! quibus ne crederemus, admo-
„ nuit. Nec ulla nobis est excusatio, si credideri-
„ mus contra vocem Pastoris nostri tam *claram*,
„ tam *apertam*, tam *manifestam*, ut nemo vel ob-
„ tusus, vel tardus corde possit dicere, *non in-*
„ *tellexi*. Habeo, pergit inclytus Præsul, *mani-*
„ *festissimam* vocem Pastoris mei, commendantis
„ mihi & sine ullis ambagibus exprimentis.
„ ECCLESIAM. Mihi imputo, si ab Ejus grege,
„ quod est Ecclesia, per verba hominum seduci,
„ atque aberrare voluero, cum me monuerit di-
„ cens, quæ sunt oves meæ vocem meam audi-
„ unt, & sequuntur me. "

Cum hæc ex Evangeliis DE ECCLESIA, quoad ea, quæ ad Religionem, seu, quæ ad fidem & morum regulas spectant, adeo ampliative, tam absolute sine omni conditione, restrictione, aut exceptione (nam, *ubi nihil distinguitur, excipitur nihil*) prolata fuerint, Protestantes ipsimet de Ecclesia Catholica magnifice sentientes, facile cum gratia Dei intelligent, quid ipsis *credere & agere* incumbat. Nos *Tomo II. contra Clariss. Febronium*, MEDIUM quo cum Catholicis accatholici reuniantur, assignavimus, quod a modo (præmissis hisce inconcussis principiis) in medium, atque Compendium reducere cogimur & vindicare, ne novæ opiniones, quæ eidem obstaculum ponere videntur, ingressum inveniant, sed, quia Ecclesiæ Catholicæ immensum præjudicant, abhorreantur.

§. IV. Medium ad hominem, quod ad unionem cum Ecclesia Catholica faciendam Protestantibus displicere non potest.

XXI. Hoc MEDIUM paucis ita adornatum conspicitur, & postulat. „ Ut una PARS Chri„ stianorum Germaniæ alteri concedat, quid quid „ concedere *salva conscientia* pro Decore & emo„ lumento

„ lumento Imperii poteſt. E Contrario: ne ulla
„ PARS ab altera exigat, quod Ea *ſine læſione*
„ *conſcientiæ* aut Imperii damno concedere haud
„ valet. “ Ubi ab initio conteſtatus fui, me non ſuſpicari, quo minus impetrem, quod tanta æquitate pro Patriæ bono ac incolumitate poſtulo; cum neque Deus ipſe velit, ut conſcientiam ſuam quis lædat, quin id ipſum ſtatutis pœnis prohibeat: Cum natura dictet, alteri concedendum eſſe, quod ſine læſione conſcientiæ concedere poſſum, præſertim, ſi id in bonum publicum cedat & privatorum ſalutem: è contrario, ut nihil omnino exigam, quod ſine vulnere conſcientiæ inflicto concedi non valet.

XXII. Nunc vero conſiderandam eſſe ulterius volui *cauſam ſciſſionis, ac fracti vinculi unionis* in graviſſimo Religionis negotio. Et inveniemus, quod Proteſtantes ipſimet in ſolemni *Auguſtana Confeſſione* Articulo XXV. confiteantur, quod Eccleſia apud ipſos in nullo fidei articulo diſſentiat ab Eccleſia Catholica. Rem agi tantum *de PAUCIS ABUSIBUS noviter introductis.* Ex quo pleno alveo fluit, quod Proteſtantes ſalva conſcientia Eccleſiæ noſtræ ſubſcribere poſſint, eo magis, quia communis hodie apud ipſos vox, communis eorum perſuaſio eſt, quod tres Religiones in Imperio Romano-Germanico *in ſubſtantialibus, ac funda-*

mentalibus fidei articulis conveniant, reliqua esse tantum ad japhora, adventitia & accidentalia, quæ saluti æterno in cœlis obtinendo neutiquam officiunt.

XXIII. Jam ergo, hoc unicum est, quod Catholici à Protestantibus ac Reformatis postulant, exigunt & volunt, ut Ecclesiæ Catholicæ, seu per totum orbem diffusæ *fidei articulis* atque *declaratis fidei Dogmatibus* consentiant, quibus *consentire salva conscientia possunt*, declarante eadem pariter Augustana Confessione, „ quod Ipsimet „ minime pugnare intendant contra Ecclesiam „ Catholicam, ne quidem contra Ecclesiam Ro- „ manam, nec, defendere damnatas ab Ecclesia „ opiniones. “ Cum ex adverso Catholici salva conscientia eidem *dissentire* non possint, quia Catholicis id, *quod Ecclesia credendum proponit*, nullo modo inter accidentalia ponere licet, neque ab iis veluti adventitiis & ædiaphoris resilire. Cum igitur in *substantialibus* conveniamus, & nos Catholici ea, quæ Protestantes accidentalia vocant, dissimulare haud possimus, ipsi vero salva conscientia admittere: quid, quæso! obest, quo minus *peroptatum* MEDIUM amicabilis compositionis ad oculum demonstratum conspiciamus. —

Quod

Quod *paucos illos abusus* concernit, aut res disciplinares, Augustissimus Imperator ac S. R. I. Principes PLANUM conficiant, illud S. Pontifici exhibeant: quidquid remittere poterit, remittet, in quocunque dispensare poterit, dispensabit, ovesque sibi à Christo concreditas & commendatas cum gaudio excipiet pro utriusque Reipublicæ bono & incremento.

XXIV. Hoc *medium* ad hominem Clarissimus Abbas Protestanticus Brunevicensis, nomine JERUSALEM bene perpendere voluit, simulque eidem Typis quodam opponere, Cui mox infra summa discretione respondebimus; Antea autem exhibenda est huc pertinens.

Resolutio quæstionis

à Clariss. Dom Fabricio, famoso Theologiæ Doctore & Helmstadii Professore data, quod Catholici in sua Religione æque salvari possint, quam in sua A. C. addicti.

Ad celeberrimam Requisitionem Sereniſſimi Domini Domini Ludovici Rudolphi Brunevicensium Ducis RESPONSIO prodiit mox reconsenda. Sereniss. Princeps, cum ipsius Filia M. Elisabetha

Carolo VI. tunc Hiſpaniarum Regi declarato ad nuptias expeteretur: Hic autem Catholicæ, Ipſa Proteſtantiæ Religioni ſubſcripſerint, Viros Doctiſſimos convocavit, ut deciderent: *utrum eſſet in Eccesia Catholica æternæ ſalutis ſpes?* impediturus nuptias alias exoptatiſſimas, ſi Filia ob coronam marceſcibilem perderet æternam. Quia hæc unica (quantum mihi conſtat) Reſolutio cum ſua Deductione *publice Typis* prodiit & non in omnium ſit manibus, non diſplicebit, ſi Eandem in ſynopſi adducam.

XXV. Doctiſſimus Vir *negativam Reſponſionem* ad propoſitam quæſtionem ob tria memorabilia motiva reprobat. „ 1mo. quia Catholici *idem fundamentum fidei* habent, 2do. *veram Eccleſiam*, & 3tio. quia Catholici æque credunt ac corde & animo profitentur, *non eſſe in ullo alio ſalus, niſi in Chriſto JESU Domino noſtro.* “

PRIMUM. Ex eo probat, „ quod *Fundamentum fidei & morum* in eo conſiſtat, ut credamus Deum Patrem, & Filium proximum Meſſiam, qui nos à Captivitate dæmonis liberavit, & Spiritum Sanctum, qui nos illuſtrat, ut ex decem præceptis diſcamus, *quomodo vivere*: ex oratione dominica quomodo *orare* debeamus, & Baptismum ac S. Communionem, quia ex inſtitutione

Chriſti

Christi proveniunt, suscipiamus. Præterea, ut credamus, quod Apostoli, atque in iis eorum Successores, id est, ministri Christianæ Ecclesiæ potestatem clavium acceperint pænitentibus denuntiandi remissionem peccatorum, impœnitentibus vero Dei iram & justissimam pœnam, ita, *ut illos à peccatis absolvant, his vero ea retineant.* Jam vero, hæc omnia (ait Clariss. Professor.) Catholici observant, quem admodum eorum Catechismi v. g. Canisii & Solusii domonstrant, & ipsa confitetur Augustana Confessio *Art. XXI.* affirmans; *Protestantium Doctrinam & Doctrinam Romanæ Ecclesiæ, in quantum ex Patribus notæ, non esse diversas.* " quia, ut supra diximus, *differentia tantum tangit paucos abusus.*

ALTERUM, Quod Catholici habeant *veram Ecclesiam*, Clarissimo Domino certum esse videtur, quia Catholici talem hominum societatem constituunt, qui audiunt verbum Dei, & Sacramentis à Christo institutis utuntur. Etenim si apud ipsos (inquit) non esset, neque fuisset vera Ecclesia, omnes, tam qui vivunt, quam, qui vivis excesserunt catholici æternæ damnationi subjacerent, quod tamen (sunt verba Fabricii) nullus unquam Protestantium dixit, aut scripsit. quare etiam *Epitome Examinis Philippi Melanchtonis* ad quæstionem: *an in Papatu non sit vera*

Eccle-

Ecclesia? Ita vult responderi: omni modo fuit vera Ecclesia. Notum enim est, quod in Papatu permanserit VERBUM DEI, & ex eo deprompta Doctrinæ Christianæ capita, nempe decem præcepta, Symbolum Apostolicum, Oratio Dominica, Doctrina de Baptismo, & divisa pro Diebus Dominicis Evangeliorum & Epistolarum capita, ex quibus Fundamentum Christianæ veritatis edocti humana præcepta vel non curant, vel in die tentationis abiiciunt.

TERTIUM, Quod attinet, istud manifeste patere afferit ex publicis Catholicorum scriptis & concionibus, quæ plenæ inveniuntur & Scatent vivis Expressionibus, monitisque, neminem ab origine mundi salvatum fuisse, aut salvari posse usque in finem sæculi, nisi per mediationem inter Deum & hominem Dominum nostrum JESUM CHRISTUM, *nec datum fuisse aliud nomen sub cœlo, in quo nos oporteat salvos fieri. Act. IV. 12.* „ Pro majori dictorum Con„ firmatione Clarissimus adducit ipsius Concilii „ Tridentini verba, ac debitis, & accurate „ factis citationibus, ita pergit: „ Hoc Concilium de Christo Domino affirmat, *Eundem possuisse Deum propitiationem per fidem in sanctificatione Ipsius pro peccatis nostris, non solum autem pro nostris, sed etiam pro totius Mundi.* Ses-

sione

ſione VI. Cap. II. *Nam* (ait *cit.* Concilium eadem Seſſione) *niſi ex ſemine Adæ propagati homines in Chriſto renaſcerentur, nunquam juſtificarentur, cum ea renaſcentia per meritum paſſionis ejus gratia, qua juſti fiunt, illis tribuatur. Pro hoc beneficio Apoſtolus nos gratias ſemper agere hortatur Patri, qui dignos nos fecit in partem ſortis ſanctorum in lumine, & eripuit de parte tenebrarum, transtulitque in regnum filii dilectionis ſuæ: in quo habemus redemptionem, & remiſſionem peccatorum.* Capite III. Item eadem Synodus *declarat, ipſius juſtificationis exordium in adultis à Deo per Chriſtum JESUM præveniente gratia ſumendum eſſe, hoc eſt, ab ejus vocatione, qua nullis eorum exiſtentibus meritis vocantur.* Capite V. Denique docent Patres in memorato Concilio congregati, *neceſſarium eſſe credere, neque remitti, neque remiſſa unquam fuiſſe peccata, niſi gratis divina miſericordia propter Chriſtum.* Capite IX.

Concilio Tridentino fideliter allegato, Fabricius non abs re appellat ad ipſosmet Proteſtantium Doctores, Flavium, Hunnium, Gerardum, Calixtum & plurimos alios unanimiter affirmantes, clarum eſſe, „ quod Catholici in ip„ ſo mortis articulo à ſuis Paſtoribus non ad

„ te

„ propria merita, aliaque falſa media pro ſalu-
„ te æterna aſſequanda remittantur, ſed unice
„ ad merita Domini noſtri JESU Chriſti: atque
„ iſtud efficacibus & ſingularibus adhortationi-
„ bus tam ante, quam poſt ſuſceptam extremam
„ unctionem, id legi poſſe aſſerunt *in Legendis*
„ Moguntinis, Trevirenſibus, Colonienſibus,
„ aliisque, in ſpecie in hildeshemienſi Catechiſ-
„ mo, ubi ægrotus in extremis conſtitutus ita
„ interrogari jubetur: *Utique ea eſt tua voluntas:*
„ *ne tecum in judicium ſuum ineat Deus, neque te*
„ *judicet ſecundum opera tua, ſed juxta ſuam infi-*
„ *nitam miſericordiam?* Reſponſio: *ita. Credis*
„ *utique etiam, te ſalvari non poſſe, niſi propter*
„ *ſolam ſanctam, pretioſam & doloroſam mortem*
„ *ſuam?* Reſponſio: *ita.* „

XXVI. „ Quæ, cum ita ſint (concludit
„ doctrina & eruditione clarus Fabricius) &
„ demonſtratum fuerit, quod *in Eccleſia Romana*
„ *Catholica* ſit fundamentum fidei, &, quod in
„ ea homo recte credere, chriſtiane vivere &
„ beate mori poſſit, ad principalem quæſtionem:
„ utrum Evangelico - Proteſtantica Principiſſa
„ pro ineundo cum Catholico Rege matrimonio
„ Romano - Catholicam Religionem *ſalva conſci-*
„ *entia* amplecti poſſit? bene Reſpondetur:
„ ITA, POTEST. „ His dictis, bene monet
Cla-

Clariſſimus, tam obtatum & Domui ſereniſſimæ proficuum matrimonium *non debere eſſe motivum*, addit enim, *præcipue, ſi in conſiderationem trahatur, quod Principiſſa ſe ad tale matrimonium non obtulerit, nec per alios procuraverit.* quia vero Fabricius prævidit, quasdam ſibi OBJECTIONES, fieri poſſe, ideo eas ſub ſequentibus formalibus prævenit, propoſuit, & appoſite diſſolvit.

XXVII. „ Object. 1ma. Romano-Catho-„ lica doctrina habet errores, qui fundamentum „ deteriorare videntur. ℟. Ita apud eos, qui „ eos pro talibus habent, & contra propriam „ conſcientiam amplectuntur. “ Interim Clariſſimus Doctor cum Studio defendit, *non omnem errorem hæreſin ſapere*; adeoque cum Auguſtana Confeſſione errores accipit abs dubio *pro abuſibus*, quales hinc inde etiam in res ſacratiſſimas irreſpiſſe nemo negat, ſed cum S. Auguſtino dicit, *Eos Eccleſia nec approbat, nec laudat.*

„ Object. 2da. Catholici dicunt: *divinas „ & Apoſtolicas Traditiones*, id eſt, illas doctri-„ nas, quæ in S. Scriptura non ſunt poſitæ, à „ Chriſto tamen, vel Apoſtolis propoſitæ, *eo-„ dem reſpectu*, quo S. Scriptura accipitur, eſſe „ accipiendas. “

℟.

℟. Atqui (ſunt verba Clariſſimi) id ipſum Nos quoque agnoſcimus Proteſtantes, manente ſolumodo quæſtione : utrum hoc vel illud ſit *divina*, vel *apoſtolica* traditio. *De legibus autem humanis* Catholici id docent, quod nos Ipſi.

Object. 3tia. Apud Catholicos *debent*. Sancti invocari, cum tamem Deum ſolum invocare oporteat.

R. Quod honorari *debeant*, nihil invenitur in Tridentino Concilio, ſed tantum quod *bonum & utile* ſit. Quare nullus Catholicus obligatur ſanctos invocare, niſi velit in Proceſſione, vel in Eccleſia lytanias Sanctorum recitare, ubi tamen Sanctis non plus attribuitur, quam, quod *intercedere* pro hominibus valeant. Verum (addit) id jam ante annos mille quadringentos tenuit tam græca, quam latina Eccleſia, quin credidiſſet id præjudicium inferre divino honori.

Object. 4ta. Credendum eſt quid Catholicos *Purgatorium*, de quo in Bibliis nihil.

℟. Si per purgatorium nihil aliud intelligitur, quam *purgari animas defunctorum à peccatis adhuc dum reſiduis*, adſeritur Doctrina, quam multi antiquorum Eccleſiæ Doctorum Tenuere.

Object.

Object. 5ta. Missa ob insolitas ceremonias ridicula est, & scandolosa.

℟. Apud illos, qui harum Ceremoniarum significationem non intelligunt, cum tamen nulla sit, cui non bona significatio correspondeat, de qua materia legendus est Catechismus Hildeshemiensis *pag.* 45. *seqq.* De cetero (inquit cum omni veritate) Missa Catholicis est Memoriale dolorosæ Passionis Domini nostri JESU Christi.

Object. 6ta. Apud Catholicos Laici usu benedicti calicis fraudantur.

℟. Quemadmodum hominum Infidelitas, Dei fidem & promissa non tollit, sic Laicis frustratio Calicis imputari haud potest, sed potius creditur, quod non minus, quam nos (Protestantes) Corpus accipiant & Sanguinem Domini nostri JESU Christi, si fideli & contrito corde ad S. Communionem veniant. Pro hac Doctrina Fabricius citat Chytræi Historiam *Augustanæ Confessionis* 261, 267, 270.

Object. 7ma. Apud Catholicos credi debet, quod dentur *septem Sacramenta*, cum tamen non nisi duo existant.

℟. Secundum diversam nominis *Sacramenti* (quod tamen in SS. litteris non habetur) acceptionem In Apologia Augustanæ Confessionis modo *duo*, modo *tria* sacramenta numerantur, si nempe inter illa etiam *Absolutio* computetur. Dein Romano - Catholici confitentur, inter Sacramenta præcipua esse Baptismum & cœnam Domini.

XXVIII. His, ex germanico in latinum fideliter translatis Fabricii Deductionibus, Is ipse se offert quod ad alias oppositiones dictis & scriptis respondere velit, suasque responsiones ad Serenissimi Ducis mandatum uberius declarare Deinde jam superius *fol. IV.* factam insinuationem repetit: Perplexas quæstiones atque difficiles *resolvere*, non pertinere ad Principissam; sed, ut in simplici, quæ semper optima est, fide permaneat. Et, O! quam facile Eam invenit in Ecclesia Romano - Catholica, Cujus Cathechismi etiam a Clariss. Fabricio laudantur. Præter ea enim, quæ necessitate medii (ut Scholæ loquuntur) credenda sunt, in illis practice credenda atque agenda clare & sufficienter exprimuntur, ac in Sacris Exetris & rostris declarantur. De reliquo, sufficit generaliter credere, QUÆ ECCLESIA CREDENDA PROPONIT.

Cla-

Clariſſimus Abbas Jeruſalem.

XXIX. De celebri hoc Abbate in Hiſtoria *propagatæ Religionis*, quam anno 1783. Typis vulgavimus, *Tom. III. Libro XXX. §. XX. à fol.* 507. mentionem fecimus. Nunc referre præſtat, *quare*, & *quid* potiſſimum contra MEDIUM á nobis propoſitum habuerit.

Eodem adhuc anno, quo Tomus II. contra Febronium comparuit, uimirud 1771. Eminentiſſimus Cardinalis & Archiepiſcopus Turonenſis de LA LANTE Zelo unionis cum Proteſtantibus ſanciendæ intenſiſſimo flagrans á tunc feliciter regnante S. Pontifice CLEMENTE XIV. obtinuit facultatem ampliſſimam, ut in hunc finem, articulis fidei in ſalvo poſitis, quoad Diſciplinaria remittere, diſpenſaret, & puncta illius juxta prudentiæ regulas, locorum & temporum circumſtantias mutare valeret; quos Eminentiſſimi conatus non Docti modo, ſed & Aularum Miniſtri debitis laudibus celebrare, ac optimum effectum optare non intermittebant: imo Aulæ cujusdam Proteſtanticæ Miniſter & Legatus labori huic tam pio, totique Imperio tam proficuo manum adpoſuit; Eaque propter Eximinum aliquem Abbatem Brounisvicenſem nomine *Jeruſalemum* convenit, ut ipſe, quid ſentiret, & quomodo in hoc amicabili

Compositionis negotio cum fructu progredi possit, juxta Principia Religionis suæ edoceret.

At vero, Abbas tegiversari abinitio, & hanc spartam à se amovere pro viribus laborabat, & dum pro officii sui muneri tam sancto operi instare debuisset, illud *Divinæ Providentiæ* unice committendum esse prætendebat, ac in Libello desuper emanato ita locutus est: „ Se in suo „ dudum præconcepto manere proposito: Manen- „ dum esse in biblica simplicitate, & mutua Re- „ ligionum Tollerantia, quoadusque DIVINA „ PROVIDENTIA Diffidentium Unionem per „ certiora, & suaviora media ad suum finem per- „ ducat, quam omnis humana sagacitas valeat „ excogitare. "

XXX. Deinde ad nostrum Systema conversus *fol.* 21. ita habet: „ Quæstionem in eo esse, „ utrum Protestantes *sine læsione conscientiæ* præ- „ ter fundamentales articulos, quos cum Catho- „ licis communes habent, etiam reliquos acci- „ dentales (Zusätze) tanquam à Deo revelatos „ & ad credendum necessarios possint admittere? " Putat Clarissimus Vir id ab initio fieri potuisse, sin vero de Religionum unione modernis temporibus agatur, „ illam Religionem optimam, & „ pro Diffidentium reconciliatione aptissimam „ esse, ait *fol.* 23. quæ in Doctrina, legibus & „ cere-

„ ceremoniis ſimpliciſſima eſt. „ Interea autem, „ non eſſe mirandum aſſerit, quod primi Refor- „ matores ab initio (in Auguſtana absque dubio „ Confeſſione) antequam plena luce illuſtraren- „ tur, non omnia viderint, ſed ex antiquis præ- „ conceptis ſententiis plura admiſerint, & con- „ feſſi fuerint, quam neceſſarium erat, cum iſtud „ primis etiam Eccleſiæ Doctoribus acciderit. „

XXXI. Dilluamus breviter ſingula. Divina Providentia utique adoranda eſt ſemper, quæ in ſua diſpoſitione non fallitur, ſed ſimul cogitare debemus, quod, licet Eadem poſſit omnia perficere tam quæ ad ſpiritualem, quam corporalem vitam neceſſaria ſunt & oportuna, velit tamen hominum & cauſarum ſecundarum conatus non tantum non impedire, ſed, ut etiam ipſæ eosdem adhibeant, & juxta vires ſibi datas cooperentur, exquirit. Sicut igitur in corporalibus & quæ ad civilis Status ordinationem ſpectant, Civilistæ, Juriſtæ, Statiſtæ: in Ordinando Exercitu Belliduces & Centuriones Principibus aſſiſtunt, ſudant, laborabant, quid ni in rebus ſpiritualibus, & quæ Dei honorem, animarum ſalutem, conſcientiam, æternitatem concernunt, Theologi, & quibus ex ſua vocatione & officio incumbit, ſpiritualia curare, conſcientiarum cauſas diſcernere, & quæ ad vitam æternam obtinendam requirantur, prædi-

care? Jam vero Primarii Theologi tam ex Proteſtantibus, quam Reformatis ab initio uſque ad moderna tempora ab ipſiſmet Principibus in Conſilium vocati publice determinarunt, atque confeſſi ſunt, & ſolemni Profeſſioni fidei inſeruerunt: quod *in nullo fidei articulo à Catholicis diſſentiant*, quod diſſenſio *paucos tantum*, *novosque* concernat *abuſus*, quod in fundamentalibus, atque æternam ſalutem concernentibus fidei Dogmatibus res ſalva ſit, & rite utrinque diſpoſita.

Non hic locorum licebit D. Abbati amplius ſe tegere Clyqeo jam toties perforato, *quod Primarii Reformatores initio Reformationis non omnia tam clare, prout oportuit, inſpexerint.* Sit enim, eosdem in quibustam ad æternam ſalutem non neceſſariis, conſcientiamque graviter non lædentibus halucinatos fuiſſe, D. Abbas tamen nulla ratione, ſalvis ſuæ Religionis principiis, ſuſtinebit, quod primarii Reformatores & Principum Proteſtantium Theologi tunc ea non viderint, quæ conſcientiam graviter ſauciarunt cum æterno beatitudinis diſpendio.

Decepiſſent in re graviſſima non tantum Catholicos, ſed propria á ſe Reformatos. Atqui in Auguſtana Confeſſione Carolo V. Imperarori in publicis comitiis exhibita iidem confeſſi ſunt: *ſe in nullo fidei articulo* à Catholicis diſpentire; &

quod

quod plus est, ut de Clarissimo Fabricio taceam, hodiedum Protestantium Doctores atque Theologi & Pastores, antequam in publicis suis muneribus & Officiis stabiliuntur, jureurando se se tenentur obstringere, quod vestigiis Augustanæ Confessionis velint inherere: Res ergo se habet nunc, ut tunc. —

FORMULA Jurisjurandi ita sonat in Præfatione super Partem XXVII. *Relationum imnocuarum*: „ Ego promitto Deo æterno Patri Domini „ nostri JESU Christi Conditori generis humani, „ & Ecclesiæ suæ cum Filio suo Domino nostro „ JESU Christo & spiritu Sancto: Me Deo „ adiuvante fideliter serviturum esse Ecclesiæ in „ docendo Evangelio sine ullis corruptelis & con- „ stanter defensurum esse Symbola Apostolorum, „ Nicœnum & Athanasianum, & perseveraturum „ esse in consensu Doctrinæ comprehensæ in „ Augustana Confessione, *quæ per hanc Ecclesiam* „ exhibita est Imperatori an. 1530. & ejusdem „ Confessionis Apologiæ, Shmalchaldicis Arti- „ culis, Cathechismo Lutheri, & Libro Concor- „ diæ a. 158. publicatæ. Quibus scriptis omnibus „ manu & corde subscripsi. &c. sic me Deus ad- „ juvet. „

XXXII. Quemadmodum igitur Theologiæ Doctores, aliique Protestantium jurant, *se per-*

ſeveraturos eſſe in Doctrina Auguſtanæ Confeſſionis, ſic pari modo jurant, ſe in Doctrina Fidei in nullo articulo diſſentire á Religione Catholica, conſequenter hodiedum docent & jurato conſitentur, Religionem Catholicam conſcientiam non lædere. Sciunt perbene, quod Catholici intuitu horum Articulorum, quos ipſi *accidentales* vocant, & Eccleſia Catholica præter fundamentales credendos proponit, fidem eliciendo, *quia eos Deus revelavit*, conſcientias ſuas non lædant, adeoque, quod neque ipſi Conſcientias lædant ſuas, ſi eos ſimiliter credant. Proteſtantes & Reformati, prout Exemplum habemus in ſpecie facti Imperatricis M. Eliſabethæ Caroli VI. Conjugis, & facta Clariſſimi Fabricii Deductione, Nec non ex ſolemni Reſponſione, quam Calviniſtæ HenricoIV. Galliarum Regi ſubmiſtraverunt, Proteſtantes, inquam, & Reformati non negant Catholicos in ſua fide ſalvari, contenti, ſi etiam de ipſis paria Catholici affirmarent, quid ergo obſtat unionem inire, cum ſalus æterna in tuto collocata ſit, Majusque Religioni à Chriſto fundatæ & S R. Imperio bonum emergat, major ſplendor & hoſtium terror, ſi tres partes, uti in una Curia, ita & in eadem Eccleſia antiqua conveniant?

Fruſtra

Fruſtra jactat Jeruſalemus (ut Volum. II. mox ad initium videbimus) TOLERANTIAM, & SIMPLICISSIMAM aliquam in legibus & Ceremoniis Doctrinam: Et nullus, ad quos appellat, *ex PRIMIS Eccleſiæ Doctoribus* nominari, aut oſtendi poterit, qui in aliquo ad fidem vel mores peritente dogmate (ſi fors à genuina Traditione aberraſſet) *facta ab Eccleſia Deciſione*, non immediate ad eandem reſpexerit. Id, ut Nos quoque faciamus, moveant hi ipſi *primi Eccleſiæ Doctores*, & S. Auguſtini invincibile argumentum, quod Ipſe ab illis, Nos vero ab eodem Sanctiſſimo Doctore didicimus. „ Non audiamus, *hæc dico*, *hæc* „ *dicis*, ſed, *hæc dicit Dominus*. ſunt certi libri „ Domini, quorum autoritati utrique conſenti- „ mus, utrique credimus: ibi quæramus ECCLE- „ SIAM ibi diſcutiamus cauſam noſtram. Moveat „ nos plurimum, quod Dominus noſter ait, cui „ non credere ſacrillegum, & noviſſimis verbis „ ſuis, quæ habuit in terra, hæc *primitivæ Ec-* „ *cleſiæ* documenta ſalubria & noviſſima reliquit: „ his enim dictis, mox aſcendit in cœlum. Nec „ ulla nobis excuſatio eſt, ſi crediderimus contra vo- „ cem Paſtoris noſtri tam claram, tam apertam, „ tam manifeſtam, ut nemo vel obtuſus & tardus „ corde poſſit dicere, non intellexi. — Habeo „ ulterius pergit Eccleſiæ Doctor, vocem MA-

„ NIFESTISSIMAM commendantis mihi EC-
„ CLESIAM, & ſine ullis ambagibus exprimen-
„ tis. Mihi imputo, ſi ab Ejus grege, quod eſt
„ Eccleſia per hominum verba aberrare volu-
„ ero. “

Ab hoc grege non debuiſſent diſcedere Arius, Macedonius, Neſtorius Euthyches, ab hoc grege, qood eſt Eccleſia, aberrare non debuiſſet Lutherius, Calvinus, aliique *horum hominum verbis* ſeducti. Hic, Sic, antequam ſacrum violaretur vinculum ſcrutari ſcripturas oportuit. *Scrutamini ſcripturas* (verbis utor Salvatoris) quia vos putatis *in ipſis vitam æternam habere, illæ ſunt, quæ teſtimonium perhibent de me* & de mea Eccleſia, *contra quam portæ inferi non prævalebunt*, cum habeat Doctores *uſque ad Conjumationem ſæculi*, quos Ego, quos Spiritus Sanctus *docet omnem veritatem.* Non enim Prophetæ ſolimodo de Eccleſia prædixerunt, Eandem per totum orbem fore dilatandam, ſed, quo veluti Sol futura ſit teſtis in cœlo fidelis. *Regnum omnium ſæculorum: incontaminatum, ac incorruptibile*, paucis *columna & firmamentum veritatis.*

§. V.

§. V. Obstacula de novo posita submoventur.

XXXIII. Ex inconcussa isthac S. Augustini demonstratione Ecclesiæ infallibilitas & irrefragabilis autoritas ad oculum patet. Sed ecce! *Nova* obstacula, *nova* molimina Duorum, qui Ecclesiæ autoritatem minuere, Infallibilitatem restringere ac intra indebitos cancellos includere & quasi captivare aggrediuntur. Non suspendimus diu Lectorum desiderium scire volentium, quinam sint isti, & cujus potentiæ, qui talia audeant! Sunt viri Docti, & haud vulgaris eruditionis Clarissimus D. P. Beda Mayr in celeberrimo & antiquissimo Monasterio ad S. Crucem Donawertæ professus *Parte. III.* in sua *Naturalis*, *Christianæ Religionis Defensione*, judicio Catholicorum Theologorum, potissimum vero *Catholicæ Ecclesiæ* proposita. Item Clarissimus D. P. Benedictus Stattler in suo *unico solum possibili medio unionis Protestantium cum Ecclesia Catholica & hujus Possibilitatis limitibus.* An. 1791. emanato. Ecclesiæ honor, & debitus erga Sponsam Domini nostri JESU Christi, ac Matrem nostram amor stimulant, ut utriusque Clarissimi Autoris systema *novum* ac revera *periculosum* examinemus, &, in quo erratum fuerit, breviter exhibeamus, ne, dum similibus novitatibus *unio Protestantium cum Catholicis* quæritur,

ritur, illi potius ſcandalum patiantur, & inter ipſosmet Catholicos oriantur ſchismata.

Syſtema Clarſſ. D. P. Bedæ Mayr.

XXXIV. Syſtema igitur Viri hujus eximii *novum* & ante hunc diem inauditum Parte III. dictæ *Defenſionis Religionis*, *Naturalis*, *Chriſtianæ atque Catholicæ* in duos rivulos diviſum agit *de Traditione* nec *non de Reſtrictione Infallibilitatis Eccleſiæ.* Si D. P. Beda tunc, quando in nobili Auguſtæ Vindelicorum loco convenimus, & ipſus affirmavit, *ſe quid novi typis vulgaturum magnis expoſitum difficultatibus*, addidiſſet, in quonam puncta difficultatum conſiſtant, eidem in memoriam revocaſſem *Compactata Baſilienſia* cum Huſſitis inita, & Diſputationem illam *Pragenſem*, ubi Podiebardus Regni uſurpator & Rochizana inſigniter abuſi, Eccleſiæ Catholicæ inſultabant, claro & manifeſto documento, hujusmodi liberales ceſſiones, & conceſſiones ordinarie malos exitus ſortiri, nihil minus parturire, quam Eccleſiæ honorem, ſed irriſiones potius Proteſtantium, de victoria ſibi gratulantium, ulteriores illationes facientium, poſtulata, & conſequentias. Quia traditionis materia influxum habet in Pertractationem de Reſtrictione Infallibilitatis Eccleſiæ, primo prodeat ex citato loco.

Materia

Materia Traditionis.

XXXV. Sectione I. II. III. Clar. D. P. Beda sic ait 1mo. „ Cum Salvator & Apostoli „ in suis tam *litteris*, quam *vivæ vocis oraculo* „ *factis Instructionibus* ab omnibus & pro omni „ tempore intelligi voluerint, neque hic finis, „ adhibitis omnibus hœrmenephticæ auxiliis, „ per solam Scripturam obtineri possit, aliud „ remedium absque dubio oportuit subministra- „ re. " Atque 2do. hoc medium *Traditionem* esse prætendit, seu, quod idem est, *oralem atque unanimem Ecclesiæ testificationem.* Per Hanc, ait, haberi fidissimam Scripturæ Declarationem de divina *circa aliquam Doctrinam* Revelatione. Ad hæc afferit. 3tio. „ Esse in summo gradu mora- „ liter certum, hoc testimonium nullo casu, „ neque malitia, neque ignorantia corruptum „ fuisse, seu alteratum. " Et, licet Clariss. hujus Systematis Inventor doceat, laudatam istham Ecclesiæ Traditionem tunc haberi, „ dum „ de divina alicujus Doctrinæ Revelatione *sem-* „ *per*, & *ubivis*, & ab *omnibus* testimonium de- „ positum fuit, " nihilominus tenet 4to. hanc eandem traditionem esse solum *suo modo naturaliter infallibilem.* Præterea defendit. „ 5to. Hanc „ eandem Traditionem *idem ex asse*, *ac simile fun-* „ *damentum* habere cum illa Traditione, qua

„ exi-

„ existentia Bibliorum, & miracula in confirma-
„ tionem divinæ missionis D. N. JESU Christi,
„ & discipulorum ejus patrata à Protestantibus,
„ ac omnibus Christianis demonstrari debent. „
Hic, antequam ulterius progrediamur, subsistere oportet, ac duos errores notare, 1mo. quod Ecclesiæ Traditio *ad probandam Bibliæ existentiam*, atque *ad habendam fidissimam S. Scripturæ declarationem de divina circa aliquam doctrinam Revelatione* sit *suo modo* seiner Art nach NATURALITER *infallibilis*, & tunc habeatur, si 2do. testimonium *semper*, & *ubivis*, & *ab omnibus* Doctoribus depositum fuisse intelligitur.

XXXVI. Primum membrum totum ordinem subvertere, quilibet fatebitur, qui tantum obiter considerat, qua §. *I. n. II. seqq.* diximus, quis quæso! Doctrinam seu Traditionem Scriptis & Verbis ab Ecclesia, seu Apostolis ex voluntate Magistri sui promulgatam, *supernaturali infallibilitate subnixus*, credere potuisset, *Eam Dei verbum & voluntatem omnipotentis* præseferre, nisi magnifica & supernaturalia motiva credibilitatis præcessissent, quæ assensum ex genuino & SUPERNATURALI MOTIVO fidei: *credo, quia Deus eandem Doctrinam revelavit*, extorsissent. *Naturalis*, aut *suo modo naturalis* infallibilitas Traditionis non nisi naturalem fidem parit, non vero

fidem

fidem ſupernaturalem omniſcientia ac veracitate Dei ſubnixam. Ecce Clar. Vir! Quantum hæc opinio Proteſtantibus noceat: Ipſi enim, ſupernaturali infallibilitate Traditionis Eccleſiæ excuſſa, SUA biblia, & Traditione *naturaliter infallibili* contenti manebunt, & extra Eccleſiam. Qui Eccleſiæ natales, Primordia, propagationem, exiſtentiam & conſervationem conſiderat, nihil in ea, quæ Fidem & mores concernunt, ſeu, quod idem eſt, veram Religionem, humanis auſpiciis, aut naturali infallibilitate actitatum fuiſſe conſpiciet, Sua ſe ſemper ſignavit Eccleſia DIVINÆ ET SUPERNATURALIS INFALLIBILITATIS luce, vi cujus divinæ Scripturæ *exiſtentia*, & Ipſius in locis difficilioribus *legitimus ſenſus*, aliaque omnia, quæ à nobis *ex verbo tradito credenda atque agenda ſunt* (in Sacris tamen litteris non inveniuntur expreſſa) legitime, invicte & irrefragabiliter demonſtrantur.

Verum eſt, in his omnibus occurrunt hiſtoricæ Deductiones ſine fine & numero, innumera teſtimonia humana, ac relationes. Interim nemo credat, hæc & ſimilia eſſe ipſamet genuinam Eccleſiæ Traditionem infallibilem, aut motiva credibilitatis. Sunt enim tantumodo neceſſaria requiſita, ſine quibus motiva credibilitatis non poſſent humano intellectui applicari & in-

noteſ-

notescere. Manus, quæ scribunt, linguæ, quæ loquuntur, aures & oculi, qui audiunt & vident, hæc utique omnia requiruntur, sicut applicatio ignis, ut materiam combustibilem valeat comburere, sed minime sunt, aut vocari possunt *Traditio Ecclesiæ suo modo naturaliter infallibilis* aut *motiva* Credibilitatis.

XXXVII. Longius à vero aberrat Clar. D. P. Beda Mayr, dum putat, Traditionem Ecclesiæ naturaliter infallibilem tunc haberi, si Testimonium de Sacra Scriptura, aut de divina circa aliquam Doctrinam Revelatione *semper*, *ubique & ab omnibus* pro illis depositum fuit. Talis enim Traditio nec *sufficit*, nec *requiritur*, nec *semper habetur*. Minus considerate igitur hanc assertionem à viri docti calamo fluxisse merito creditur: Peccat in Verbum Dei Scriptum & Traditum, atque primariis Religionis nostræ dogmatibus præjudicat. Actum agitur ab iis, qui Protestantes, aut quoscunque ab Ecclesia extorres ad sinum Ecclesiæ Catholicæ reducere sincere cogitant, nisi ad motiva supernaturalia credibilitatis, & supernaturalem, qua eandem Christus ECCLESIAM SUAM donavit infallibilitatem, faciant recursum, ac ad eos confugiant, qui illam in suo Capite ac subordinatis Pastoribus moraliter repræsentant.

XXXVIII.

XXXVIII. Initium faciamus à SS. litteris, atque ipsismet Sanctis Evangeliis, de quibus evidentissime patet, quod primis temporibus non *ubique* non *semper* & *omnium* ea fuerit mens, cum sciamus „ plures fuisse, qui Evangelia scripse-
„ runt, ut Lucas Evangelista testatur, dicens,
„ quoniam quidem multi sunt conati ordinare
„ narrationem rerum, quæ in nobis completæ
„ sunt: sicut tradiderunt nobis, qui ab initio
„ ipsi viderunt sermonem, & ministraverunt ei:
„ & perseverantia usque in præsens tempus mo-
„ nimenta declarant, quæ à diversis autoribus
„ edita, diversorum hœresum fuere principia:
„ ut est illud juxta Ægyptios, & Thomam &
„ Matthæum, & Bartholomæum, duodecim
„ quoque Apostolorum & Basilidis atque Apel-
„ lis, quos enumerare longissimum est. “ Ita S. Hieronymus in Prœmio *commentariorum*, quos scripsit *in Matthæum*. Sola *primis etiam Temporibus* Cynosura erat Romana maxima & antiquissima Ecclesia, aliæque cum eadem fideli unionis nexu conjucta. Quomodo jam sonat illud *omnes*, *ubique*, *semper*? Dein, an rite ab originalibus Exemplaria descripta fuerunt? Certe non sufficit dicere: hic est Christus, Hoc est Evangelium! Surrexerunt enim multo Pseudo - Christi. S. Augustinus *Lib. II. de Doct. Christ. Cap.* 2. ita ait:

„ Qui

„ Qui ſcripturas ex hebræo in græcum verterunt,
„ numerari poſſunt : Latini autem interpretes
„ nullo modo, ut enim cujque *primis fidei tem-*
„ *poribus* in manus venit Codex græcus, & ali-
„ quantulum facultatis ſibi utriusque linguæ habere
„ videbatur, auſus eſt interpretari. „ Quid,
ſi dein in falſum præterea Evangelium Thomæ,
Bartholomæi, aut Duodecim apoſtolorum incidiſ-
ſet? an hic ignorantia, ſepoſita etiam malitia,
nihil potuit operari? Apage clariſſime Vir! cum
tua *traditione naturaliter infallibili*, cum tuo *ubi-
que*, *ſemper*, *ab omnibus*. Capies utique ipſus,
quod ad expedienda tam gravia, tuum illud *ſuo
modo naturaliter infallibile* minime *ſufficiat*, neque
etiam *requiratur*, ut *omnis*, *ubique & ſemper* de
Verbo Dei ſcripto teſtimonium deponant. SU-
STICIT, ſi hoc præſtitum fuiſſe cognoſcitur à
Romana, aliisque cum eadem conjunctis Eccleſiis,
qui Vos audit me audit, & hoc REQUIRITUR.
Proin, quis quis prætendit, ſimile teſtimonium
de Verbo Dei ſcripto omnium, ubivis & ſemper
HABERI, ſicut ex allatis de errore convincitur,
ſic, dum de Verbo Dei Tradito ſermo Procedit,
vela contrahere, & fractam navim ſubducere ju-
bebitur.

XXXIX. Celeberrima fuit controverſia de
tempora celebrandi Paſchatis. Cœpit hæc ſub me-
dium

dium ſecundi ſæculi, quo tempore S. Polycarpus Romam profectus eſt ad S. Anicetum S. Pontificem, diſſidium iſtud componendi gratia, at ſine effectu; S. Polycarpus ſiquidem ſe morem & Traditionem Luna XIV. cum Judæis celebrandi Paſcha hauſiſſe à S. Joanne Apoſtolo & Philippo Diacono dicebat. Papa vero inſiſtebat Traditioni Romanæ Eccleſiæ á SS Apoſtolis Petro & Paulo acceptæ. Jam Tu Eximie D. P. Beda progredere! tuam obtendens naturaliter inſallibilem Traditionem, quæ tunc habetur, quando in idem *omnium, ubivis, & ſemper* teſtimonia conveniunt.

Majoris momenti fuit ſequens S. Stephanum inter & S. Cyprianum litigium. Agripinus Cartaginenſis Epiſcopus *rebaptizari* voluit omnes ab hæreſi ad Catholicam Eccleſiam venientes. Inter illos, qui huic ſententiæ ſubſcribebant erat S. Cyprianus, Cum enim in primo, alteroque Cartaginenſi Concilio, in quo ſeptuaginta Epiſcopi convenerunt, ſtatuiſſet, *quia Unum eſt in Eccleſia Baptiſma, adeoque neminem foris baptizari poſſe*, ideo omni marte contendit, Hœreticos ad Eccleſiam venientes rebaptizari debere. Huic Traditioni Apoſtolicæ Conſtitutiones favere videntur, ubi inter alias iſta legitur: *Baptiſmus ab hæreticis collatus reiterari jubetur. Nos* ipſi *Tom. II. contra Febronium Parte I. §. VII. n. III. à ſol.* 277. has

constitutiones *ad minimum* adulteratas fuisse defendimus, quia certum est, quod S. Stephanus Papa Traditionem Romanæ Ecclesiæ huic Traditioni oppossuerit. Interim tamen semper verum manebit, *non requiri* ut omnes ubique & semper in idem consentiant, aut prætensam illam suo modo naturaliter infallibilem Traditionem *sufficere*, quod ex Epistola S. Hieronymi ad Damasum luce meridiana clarius elucescit.

Hæc sunt S. Patris formalia: „ quoniam „ *vetusto Oriens inter se populorum furore collisus* „ indecisam Domini tunicam, & desuper textam „ minutim per frusta discerpit, & Christi vineam „ exterminant vulpes, ut inter lacus contritos, „ qui aquam non habent, difficile, ubi fons signatus & hortus ille conclusus sit, possit intelligi, ideo mihi *Cathedram Petri*, & fidem apostolico ore laudatam censui consulendam. “ Postea S. Damasum Papam alloquens, ulterius pergit: „ Ego nullum primum, nisi Christum sequens, Beatitudini tuæ, id est, Cathedræ „ Petri communione consocior: *super hanc petram* „ *ædificatam Ecclesiam SCIO*; quicunque extra „ hanc domum agnum comederit, profanus est: „ si quis in Arca Noe non fuerit, peribit regnante „ diluvio. “ Petri Cathedra igitur, aliæque Ecclesiæ, quarum ipsa est centrum, & unionis conser-

servandæ fundamentum, ancora est, qua inter aquarum fluctus Ecclesiæ Universa ad genuinas custodiendas SS. litteras ac Traditiones, ad tuenda Fidei Dogmata, dogmaticosque articulos firma & tuta consistit.

XL. Primis sæculis persecutionum præcipue temporibus vix erat possibile cuncta, quæ Apostoli prædicaverunt, tam accurate adnotare, eo magis quia tunc Fideles, neoque conversi iis, quæ ex ore primorum pastorum suorum pendentes hauserant, aquieverunt. Quomodo autem deinde integræ Nationes per universum Orbem diffusæ, Linguarum Hebraicæ, græcæ & latinæ imperitæ, quæ nec legere quidem asueverunt, præter SS. litteras antiqua Traditionum monumenta perquirere, in Crisin deducere, & de genuitate horum omnium judicium ferre potuerunt? Christus Dominus Deus noster, qui omnia prævidit, & malorum hominum fraudes & dolos, quibus justos ac innocentes ex sua nequissima voluntate seducere adlaboraturi essent, bene præcognoverat, longe melius, omnibusque cujuscumque status & conditionis accommodatum hominibus criterium, quo de Doctrina sua sive scripta, sive tradita securi forent, ordinavit; Non utique Philosophicas disputationes, linguarum peritiam, aut notitiam historiarum, aliaque similia, quibus mediis aliunde

unitas Doctrinæ tot inter Nationes, gentes & populos conſervari haud poteſt, ſed Paſtoribus Eorumque Principi & Eccleſiæ Capiti Spiritum Sanctum adpromiſit, & ſuam infallibilem in docendo aſſiſtentiam usque ad conſummationem ſæculi, ſeu interitum Mundi.

XLI. Si Eccleſiæ Traditio alias prærogativas non haberet, aliisque præluceret ſignis, quam quibus eam Clar. P. Beda circumſcribit, nullus Theologorum potuiſſet unquam, aut hodie poſſet demonſtrare, quænam vera, genuina ſit, atque authentica plurium præſtantiſſimorum Chriſtianæ Religionis Dogmatum Traditio: vel ea, quam Romano - Catholici, vel illa, quam urgebant hœretici. Nolumus verba facere de primis hœreſiarchis Cleolanis, Dioſitanis, Gotthenis, Maſſotheis, abominabilia nomina! non de Menandro, Cerintho, Ebione, atque Baſilide, neque de iis, qui S. Scripturæ libros alterarunt, exparte reiecerunt, vel alia Evangelia obtrudere nitebantur; Hos enim omnes contrivit Eccleſiæ autoritas; Eosque Præſtantiores Autores *ad Ethnicos potius, & Paganorum, quam hœreticorum claſſem* ſolent reponere. Adeoque ad alios, qui inter S. Scripturæ Libros, quos *Protocanonicos* appellamus, Sacra quatuor Evangelia ab Eccleſia Catholica acceperunt, ſeu verius accepta retinuerunt, pro-

gre-

grediamur, ut ad propositum scoptum eo velicius pervenire valeamus.

Sæculo IV. erumpebant Ariani, qui Christum verum Deum esse negabant. Appellabant præter Scripturam ad antiquam verorum etiam Catholicorum Traditionem: Eodem modo Macedoniani, Nestoriani, Eutychiani, Monothelitæ, atque ante alios Donatistæ procedebant. Acta enim Conciliorum, quæ contra istos Novatores coaluerunt, demonstrant: utrinque, tam ex parte Catholicorum, quam Sectariorum appellatum fuisse ad Traditionem antiquorum Doctorum ac Episcoporum, etiam apprime Catholicorum, adeoque *ad Doctrinam omnium locorum & temporum.*

XLII. Nihil juvat dicere (prout Clar. D. P. Beda facit) *esse in summo gradu moraliter certum, hoc universale testimonium neque inscitia, neque ignorantia, vel alio accidentali casu obscuratum, seu deletum fuisse;* enimvero, hoc ipsum est, quod, si *supernaturaliter revelata infallibilitas Ecclesiæ* ex motivis supernaturalibus credibilitatis demonstrata non *præsupponatur*, ostendi haud possit, quod Consonantia Catholicorum Traditionis testimonia potius, quam Sectariorum neque ex ignorantia, neque ex inscitia, neque ex alia rerum contingentia in transversum acta fuerint,

atque adulterata, Cum Teſtimonia ſibi invicem contradicentia ſimul vera eſſe haud poſſint. Anne ſine ultimata ſupernaturaliter infallibilis Eccleſiæ Deciſione poſſibile eſt de contradictoriis traditionibus irrefragabile judicium ferre, cum inter Catholicos conclamatum, certum & evidens ſit, ſolumodo talem Deciſionem inter diverſas Scripturæ expoſitiones finem liti imponere?

Certe, ſic ſemper proceſſit Eccleſia Catholica, ſic Monothelitas, Euthychianos, Neſtorianos, Macedonianos, Arianos & Donatiſtas vicit, proſtravit, triumphavit! Nam, quia vera Eccleſia à ſuo Sponſo, Chriſto Domino in ſuis Paſtoribus, S. Petro, aliorumque Apoſtolorum, Eorumque legitimorum Succeſſorum ſupernaturale infallibilitatis donum in hunc finem accepit, ut Verbum Dei ſcriptum & traditum, veramque ipſius Doctrinam promulget, prædicet, & incontaminatam conſervet, ſic ad eandem Eccleſiam ſupra petram fundatam, id eſt, ad Epiſcoporum collegium veluti corpus ſuo Capite Romano Pontifici inviolabili unionis vinculo colligatum ſpectat & pertinet, cognoſcere, judicare atque decidere, quænam inter diverſas traditiones ſit vera, exploſis quibuscumque Sectariorum Traditionum documentis. Nam,

XLIII.

XLIII. Semper inconcussum ac invincibile urget S. Augustini, supra §. III. n. XVI. XVII. & *seqq.* propositum argumentum: „ Non audia- „ mus, hæc dico, hæc dicis, sed, *hæc dicit* „ *Dominus.* Sunt certi libri Domini, quorum „ utrique autoritati consentimus, ibi quæramus „ Ecclesiam, ibi discutiamus causam nostram. “ Aperiantur Sacrata Volumina! Matthæi XVI. 18. dicit Dominus ad Petrum: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam MEAM, & portæ inferi non prævalebunt adversus EAM.* Proin, quia Ecclesiam docentem Petrus ut petra, & reliqui Apostoli constituerunt, ad omnes simul congregatos dixit: *qui vos audit me audit, qui vos spernit, me spernit,* Vos Apostolos & vestros in Episcopatu successores, quos spititus S. constituet regere Ecclesiam, Successoribus Petri coadunatos, superædificatos, ac Sacro unionis nexu conjunctos, & in unione permanentes, *Vos*, inquam, *qui audit, me* audit! Ecce enim, dicit Dominus *Matthæi XXVIII.* 20, *Ego vobiscum sum, usque ad interitum mundi.*

Facilis cum Clar. P. Beda facienda Compositio.

XLIV. Postquam Clar. Vir Ecclesiæ Traditionem *naturali infallibilitate* Decoratam exhibuis-

ſet, Sectione IV. agnoſcere incepit, in vanum laborari, Si Proteſtantes *ex alio motivo*, ut ſe Autoritati Eccleſiæ ſubiiciant, perſuadere conetur, quam quod Catholicos ipſos per omnia retro ſæcula, ut debitam ei ſubjectionem exhibeant, permovit. Hinc etiam ipſus Infallibilitatem ſupernaturalem *ex motivis ſupernaturalibus* eluceſcentem (ſed ſerius, quam oportuit) Eccleſiæ adſtruit, & acriter defendit. Ait enim cit. ſect. „ Cum „ Doctrina Chriſti Domini curjoſitati & depra- „ vatæ hominum naturæ adeo contraria, & „ proinde continuis partim eam publice im- „ pugnantium, partim doloſe alterantium in- „ ſultibus expoſita ſit, impoſſibile ſane fuiſſet, „ eandem in ſua puritate conſervare, niſi idem „ Salvator noſter Apoſtolis, Eorumque Succeſ- „ ſoribus in communione cum Romano Pontifice „ legitimo Petri ſucceſſore exiſtentibus ſuperna- „ turalis infallibalitatis diademate coronaſſet, „ alias enim (ut optime ait) neceſſarium re „ vera fuiſſet, toties Viros taumaturgos ac mi- „ raculorum gloria illuſtres, quibus homines fi- „ dem, ut decet adhibere valerent, mittere „ & ablegare, quotiescunque novi errores a „ Novatoribus excogitati emergerent. “

Quibus, aliisque pluribus verbis errorem retraxiſſe Clar. P. Bedam nobis alias æſtimatiſſi-

mum

mum credere licet, ac ex adverſo ſincero animo & corde defendere ac propugnare, Eccleſiæ Paſtores ſupremo Paſtori ſive in, ſive extra Concilia adhærentes & moraliter repræſentantes totam Eccleſiam, ob promiſſam perennem Chriſti & Spiritus Sancti aſſiſtentiam, minime indigere *latum datumque OMNIBUS, SEMPER atque UBIVIS* Teſtimonium.

De Nova Eccleſiæ infallibilitatis Reſtrictione.

XLV. Spectavimus D. P. Bedæ Mayr diruta *naturalis Eccleſiæ infallibilitatis* valla reparantis diligentiam, ſed etiam hujus clariſſimi viri tubæ clangorem audivimus, dum *Matthæi XVI.* & *ultimo* invictam petram, & inſuperabilia parata ſubſidia intuitus, receptui ſignum dedit. Verum, nondum affultuum finis. Admittit *ſupernaturalem Eccleſiæ infallibilitatem*, ſed eam ita reſtringit, ut in ſuis caſtris vix non ad nihilum redigi videatur. Propria Eximii viri verba proferamus. ad *fol.* 263. ita loquitur: „ Dicunt quidem noſtri Theologi, „ Eccleſiam tantum infallibilem eſſe *in fidei & mo-* „ *rum materia.* Sed autem, in quonam conſiſtit „ iſthæc *materia?* Reſpondent: Ea omnia com- „ prehendere iſtam *materiam*, quæ Eccleſia *qua* „ *talia* definitive declaravit. „ Interea hac re-

„ ſtri-

ſtrictione infallibilitatis non contentus D. P. Beda, ulterius quærit: „ An non *inter Dogmata actu ab* „ *Eccleſia definita* quædam reperiantur, quæ, „ poſita quadam fundamentali regula, *quid deni-* „ *que ſit fidei articulus*, pro talibus non amplius „ haberi, agnoſci, defendi ac proclamari vale- „ ant? Si res ita ſe haberet (pergit P. Beda) „ revera Proteſtantes non poſſent amplius obli- „ gari, ut ſub interminatione æternæ infelicita- „ tis ejusmodi Dogmata acceptent ex obtentu, „ *quia ea Eccleſia credenda propoſuit*, ſed exſpe- „ ctari poſſet, quoadusque illa *ex rationum mo-* „ *mentis* ipſis, ut nobis inclareſcant. "

XLVI. Nunquid, ad hanc novitatem Catholicorum aures tinniunt? Interim, D. P. Beda mox ſe excuſare nititur, & ſcandalum evitaturus, ita ſe explicat: „ Ex dictis neutiquam ſequi, „ quod Eccleſia ſimilem Doctrinam *tanquam Dog-* „ *ma* definiens, aliquid falſum, ſeu erroneum „ deciderit, quia deciſum *verum* eſſe poteſt, quin „ ſit *revelatum*, & conſequenter quin ſit Dogma „ ſive Articulus fidei. " Hoc momentoſum affertum ſequenti ratione perſuadere conatur. „ MO- „ TIVUM Incarnationis Domini noſtri & Salva- „ toris aliud haud fuiſſe, quam *noſtram ſalutem*, „ & pro hac conſequenda *debitæ Doctrinæ ſub-* „ *miniſtratio*: adeoque, infert, ACTIVITAS

„ in-

„ Infallibilitatis Ecclesiæ ultra hunc limitem se se
„ extendere haud potest, & Ecclesiæ infallibi-
„ tas in salvo consistet, dumodo ex fine à Christo
„ præstabilito doceat, *quæ ad salutem necessaria,*
„ *& utilia sunt, nihilque doctrinæ immisceat, quod*
„ *fideles à salutis tramite abducit.* "

Proin morticus (ut ajunt) defendit, „ Ne
„ hilum infallibilitati Ecclesiæ nocere, *Ipsa quæ-*
„ *dam TANQUAM REVELATA, & à Christo*
„ *præscripta ad credendum proponat, quæ talia non*
„ *sunt*, quia Tantum in eo erraret, *quod aliquid*
„ *revelatum fuisse promulget, quod tamen à parte*
„ *rei revelatum non fuit*, satisfactum tamem fuisset
„ adhucdum fini & scopo infallibilitatis, eo quod
„ definitum Saluti æternæ neutiquam officiat, sed
„ potius pro ea obtinenda conducat. "

Pro Exemplis ipsi serviunt *Purgatorium* & *Libri Machabæorum.* „ Sint hi Libri, inquit,
„ neutiquam Canonici, id Fidelibus nihil omnino
„ oberit, dumodo hi Libri nihil contra Salutis
„ ordinem contineant. Hoc enim respicit con-
„ cessum Ecclesiæ donum infallibilitatis. "

XLVII. Tandem Clar. Dominus Regulam quandam singularem exhibet, ex qua discamus, quandonam certi esse possimus, utrum Doctrina ab Ecclesia decisa *non solum saluti congrua, adaptata & utilis, verum etiam à Deo revelata*, &

con-

consequenter inter Dogmata ac articulos fidei numeranda veniat, atque in priorem morbum recidivus ait sub sequenti tenore: „ Si *PRÆTER* „ *Ecclesiæ Decisionem* unanime, universale, in se „ moraliter certum & historicis documentis robo- „ ratum Testimonium omnium temporum, loco- „ rum ac Doctorum de Doctrinæ alicujus reve- „ latione adsit, tunc haberi certitudinem factæ „ a Deo Revelationis. E contrario, Doctrinas, „ quæ defectu hujusmodi certitudinis laborant, „ posse quidem veras esse, de certa Revelatione „ tamen non adesse sufficiens fundamentum. "

XLVIII. Ut nihil omittamus eorum, quæ ad hanc stropham ullo modo spectare dignoscuntur, sistimus verba quæ laudatus D. P. Beda *fol.* 279. expressit, & ita sonant: „ Dum concessi, quod „ Ecclesia aliquid proponere possit ad credendum „ tanquam revelatum à Deo, quod tamen ab „ ipso revelatum haud est, sermo mihi fuit *de* „ *immediata revelatione*, quæ à revelatione *me-* „ *diata* debite est discernenda. Immediate reve- „ latæ doctrinæ juxta ipsum, sunt, quas Christus „ & Apostoli ipsimet expresse proposuerunt; me- „ diatæ autem revelationes sunt illæ, quæ qui- „ dem in biblia fundantur, & vestigia habent, „ non tamen in ea solum, *sed principaliter ex ra-* „ *tione* probantur. Jam ergo, decidat Ecclesia

„ talem

„ talem Doctrinam, & dici continuo poterit:
„ *eam esse mediate revelatam*, quia immediatæ re-
„ velationi non contradicit, quin potius promo-
„ veat, & certa veritate nitatur, „ *eam Doctri-
nam conducere, & non obviare saluti.*

Contraria juxta se posita.

XLIX. Cum Clar. Beda primum inquirat in fundamentalem aliquam regulam determinantem, *quid denique sit fidei Articulus?* in quonam *materia fidei & morum* constitat? Cum novas subtilitates, obscuritates, & plusquam scholasticas distinctiones inter *mediate*, ac *immediate revelatum* in medium producat, quilibet justus rerum Arbiter necessarium judicabit, ut hæc omnia (sepositis interea omnibus aliis) debite, paucis tamen complanentur, ut sic Veritas è nubibus promicare incipiat, &, dispulsis tenebris, Phœbi instar in pleno meridie radios spargat quaquaversum. Sit ergo, Dicamus absque mora & succincte in quonam materia fidei & morum, seu *fidei Dogma* consistat, quid sit *articulus fidei*, & an omne id, quod est de fide, seu fidei Dogma sit quoque articulus fidei?

L. Minime nos latet, quod quidam *Dogma catholicum* pro Dogmate fidei sumant; & isti loquuntur, ut decet, de Dogmate catholico in *sensu stricto*,

ſtricto, ſeu pro eo, quod ab Eccleſia fide divina credi jubetur, v. g. quod Chriſtus ſit *conſubſtantialis* Patri, quod ſpiritus Sanctus *à Patre*, *Filioque* procedat &c. non autem ipſis ſermo eſt de *Dogmate catholico libero*, circa poſſibilitatem vel impoſſibilitatem mundi ab æterno v. g.: utrum Adamo non peccante Chriſtus veniſſet, vel non veniſſet, quæ etiam *Dogmata Catholica* in ſenſu latiori, ſcilicet *libera & tollerata* nominantur.

Nos ex omnium Theologorum Catholicorum mente Materiam fidei, Fidei Catholicæ Doctrinam, ſeu Dogma fidei ea omnia eſſe dicimus, „ quæ in verbo Dei Scripto, vel tradito reve- „ lata ſunt, & omnibus ab Eccleſia Catholica „ propoſita, ut *fide divina* credenda. „ Hæc enim ſunt verba S. Pauli Apoſt. *ad Rom. X. 17. Fides ex auditu, auditus autem per verbum Chriſti*, proin id omne & ſolum eſt de divina fide, dogma & materia fidei, quod eſt in verbo Dei ſcripto vel tradito revelatum. At vero, ad hoc, ut ſit *de fide divina Catholica ſeu univerſali*, univerſos Chriſti fideles ſub pœna hœreſeos adſtringens & obligans ad credendum, non ſufficit, quod ſit in Verbo Dei ſcripto vel tradito revelatum, ſed (niſi *veritas ex ACTUALI UNANIMI fidelium conſenſu pateat*) debet inſuper ab Eccleſia Catholica, ſeu univerſali, quæ ſola eſt *columna & firmamentum veritatis*,

ritatis, *I. ad Timoth. III.* 4. fuiſſe ad credendum propoſitum. Quod Theologorum aquila S. Auguſtinus *Lib IV. de Baptiſmo contra Donatum Cap. XV.* declarat, in homine, qui Photino adhœrens exiſtimaverat, *Photinum doctrinam fidei Catholicæ tenere*, de quo ait: „ iſtum nondum „ hœreticum dico, niſi *manifeſtata ſibi doctrina* „ *Catholicæ fidei* reſiſtere maluerit, & illud nihi- „ lominus, quod tenebat, elegerit. „

Ex hac Regula, ſeu criterio ſequuntur ſequentia valde notanda 1. Nihil eſſe de fide Catholica, niſi hæc duo ſimul conveniant, *quod ſit* revelatum in verbo Dei ſcripto vel tradito: & *quod ſit* ab Eccleſia Catholica propoſitum ad credendum. Ratio enim Apoſtoli urget: *fides ex auditu*, *auditus autem per verbum Chriſti*, Chriſtum *audit*, *qui Eccleſiam audit*, qui autem *Eccleſiam non audierit*, ſit tibi ſicut Ethnicus & publicanus. Ex quo ſequitur, quod licet Immaculatam Beatiſſ. Virginis MARIÆ Conceptionem Eccleſia univerſa celebret, & Eccleſia Romana, aliarum Mater & Magiſtra, in ſolemnem Deciſionem inclinatam eſſe ſe ſentiat, prout Benedictus XIV. in aureis *de Beatificatione* elucubrationibus teſtatur, non tamen habeatur pro Fidei Dogmate, quia ut tale ab Eccleſia Catholica nondum eſt definitum. Idem loquere de aliis Sanctorum Feſtis & Canonizatio-

nibus,

nibus, de Eorum, & SS. Imaginum atque Reliquiarum cultu & veneratione, aliisque similibus, de quibus Volumine II. uberior declaratio manifestabitur.

2do. Nihil esse de fide Catholica, nisi à Deo nobis sit vel per se ipsum, vel per Prophetas, Apostolos, aut alios Sacros Scriptores revelatum, quia nihil est de fide divina Catholica, nisi sit in Dei Verbo scripto aut tradito revelatum, adeoque 3tio. Nihil esse de fide Catholica ex iis omnibus, quæ novimus per revelationes quascunque post Apostolorum tempora factas etiam quibusdam viris sanctissimis, quia nihil ex iis in verbo Dei scripto vel tradito, non Prophetis non Apostolis aut aliis scriptoribus sacris est revelatum.

4to. Nihil ex iis, quæ per discursum ex revelatis *præcise* inferuntur, seu, quod idem est; nulla *Theologica conclusio qua talis*, sive ex *una*, sive *ex duabus de fide præmissis* illata *qua talis* est formaliter & immediate de fide, sed mediate dumtaxat & virtualiter. Ratio est, quia nulla conclusio Theologica *qua talis* est immediate revelata in Dei verbo scripto, aut tradito, sed tantummodo ex revelatis *illata;* at vero, Paulus dixit, Fides ex auditu, auditus *per verbum* Christi, non addit per illationem ex verbo Christi. Quamvis autem *Conclusiones theologicæ* etiam qua tales ingentem

respectum

respectum mereantur, conveniunt tamen omnes Theologi, eas non esse de fide Catholica, ut notat clariss. Franc. VERON S. Theologiæ Doctor & cleri gallicani in controversiis SCRIPTOR in sua Controvers. Epitome.

Præterea, to. nihil ex iis, quæ in particularibus definiuntur Conciliis sunt credenda de fide Catholica, nisi fuerit accedente universalis Ecclesiæ consensu firmatum, concilium etenim particulare nullum universam representat Ecclesiam. Deinde, neque omnia, quæ in universalibus, seu æcumenicis Conciliis proponuntur, sunt de fide catholica, sed *Ea solum*, quæ sunt definita, non vero definitionum motiva, nec alia in conciliis inter loquendum, aut disputandum à Patribus præmissa, dicta, vel laudata, quatenus ibi dicta, sed non definita. Illud enim solum ad credendum à Conciliis proponitur, quod definitum est v. g. in Conc. gener. Nicæno II. act. V. definitum fuit, *Angelos posse pingi*, non autem illa ratio, quam Joannes Thessalonicensis addidit, *quia corporei sunt*. Ratio est, quia, dum Ecclesia Catholica aliquid definit, aut decisive declarat, non se fundat in argumentatione scientifica, ut Philosophi naturales solent, sed infallibili spiritus. S. inspiratione.

LI. Quemadmodum ergo omnia credenda ſunt, quæ Eccleſia Catholica credenda proponit, ita illud omne reiiciendum eſt, ſive fidem, ſive mores concernat, quod *ut fidei* (aut moribus) *nocivum* Eccleſia Catholica damnat, atque id, tanta nititur veritate, talique ſoliditate fundatur, ut S. Auguſtinus jam ſupra citatus *Epiſtola fundamenti cap.* V. dicere non dubitaverit: *Evangelio non crederem, niſi me Eccleſiæ moveret autoritas. Et Lib II. contra Creſcon. grammaticum Cap.* XXXII. „ Non accipio quod de rebaptizandis hæreticis & „ Schiſmaticis ſentit B. Cyprianus, *quia hoc Eccle-* „ *ſia non accipit*, pro qua B. Cyprianus ſanguinem „ ſuum fudit. "

Cæterum, Diverſæ eſſe poſſunt doctrinæ fidei catholicæ nocivæ, eoque ipſo Eccleſia, & SS. Pontifices illas diverſo modo pro diverſo cum fide, aut moribus oppoſitionis gradu qualificaverunt. Neſcimus ergo, quomodo Clar. D. P. Bedæ Antagoniſta & Defenſor fol. 194. ſcribere potuerit, „ Non credo, multos hodie dari fundatos „ & cordatos Theologos, qui antiquæ regulæ „ ſubſcribunt: *Illas definitiones Eccleſiæ eſſe dog-* „ *maticas, & veluti Articulos fidei conſiderandas,* „ *de quibus contrarium docere Eccleſia vel Concilium* „ *ſub Anathemate prohibet.* " Iſtud ſane nunquam ullo cordato, & fundato Theologo incidere potuit,

tuit, utpote quem minime latet, quod sæpe, sæpius Doctrinæ *sub anathemate* doceri prohibeantur etiamsi nec materiam fidei, adeoque nullum dogma, nullumque articulum fidei respiciant. Attendendum ergo est ad subiectam materiam. Si quidpiam, quod fidem Catholicam directe, vel indirecte lædit, sub anathemate prohibeatur, tunc Decisio Ecclesiæ *pro Dogmatica*, & ille, qui contrarium sapit, tenet & docet, *pro hæretico* habeatur.

Non igitur quælibet Doctrina Ecclesiæ nociva *hæretica* est, etsi non nunquam anathemate percussa, sed alia esse potest *hæresin sapiens*, *Erronea*, *offensiva pietatis*, *seditiosa*, *offensiva piarum aurium*, *temeraria*, *scandalosa*, *simplicium seductiva*, *male sonans* atque *Schismatica* &c. Ubi istud eruditionis gratia addamus, quod propositio, quæ apud nos *in Latina Ecclesia* scandalosa, male sonans & seductiva dicitur, apud alios, v. g. *apud Græcos* huiusmodi qualificationes minime mereatur, est istud ob diversam *ejusdem vocabuli* significationem, quod S. Thomas Doct. Angel. erudite *Opusc. I. contra Græcos errores* ita commonstrat. „ Apud græcos, ait, recte & catholice di-
„ citur, quod Pater & Filius & Spiritus Sanctus
„ sint tres hypostases; apud Latinos autem non
„ recte sonat, si quis dicat, *quod sint tres substan-*

„ *tiæ; licet hypostasis sit idem apud græcos, quod*
„ *substantia apud Latinos* secundum proprietatem
„ vocabuli: Nam apud Latinos *Substantia usitatius*
„ *pro Essentia* accipi solet, quam tam nos, quam
„ Græci UNAM in divinis profitemur; propter
„ quod, sicut Græci dicunt *tres hypostases*, sic nos
„ dicimus *tres personas.* " Et licet PERSONA à Boëtio definiatur *rationalis naturæ individua substantia*, non tamen sequitur, quod, quia in Deo tres sunt Personæ, ita tres pariter in eo sint substantiæ, quia, ut denuo præclarissime docet D. Thomas *I. q. 2. art. 1. ad 1.* „ *Substantia* non po-
„ nitur in definitione personæ secundum quod sig-
„ nificat *essentiam*, sed secundum quod significat
„ *Suppositum*, quod patet ex hoc, quod additur
„ *individua*; Ad significandam *substantiam sic dic-*
„ *tam* habent græci nomen hypostasis; unde sicut
„ nos dicimus tres Personas, ita ipsi dicunt tres
„ hypostases; Nos autem non consuevimus dicere
„ tres substantias, *ne intelligerentur tres Essentiæ*
„ propter nominis æquivocationem. " Multum ergo interest nosse loquendi modum ab eo tempore, quo Ecclesia limavit sibi *certos proprios loquendi modos*, quibus ab hæreticis differret.

LII. Nunc ordo tangit illam discussionem, qua inquiritur: *an omne, quod est de fide, seu Dogma fidei sit etiam fidei articulus?* Dicimus, Non omnia

omnia fidei Dogmata, ſeu non omnes fidei veritates, ſed ſolum principales & primarias eſſe articulos fidei proprie dictos, ita tamen ut dogmata ſecundaria ad articulos fidei proprie dictos reducantur. Sicut enim in corpore naturali non omnes partes dicuntur proprie membra & *artus* à quo verbo vocabulum *articulus* derivatur, ſed ſolum majores & principaliores, ita tamen, ut aliæ partes etiam minimæ in illis contineantur, ac ſuo modo reducantur, ita quoque in *corpore Credendorum*, licet partes non omnes, ſed principales & primariæ proprie membra, artus ſeu articuli ſint, omnes tamen etiam, quæ minimæ videntur, implicite in illis continentur, atque ad eos reducuntur.

Omnia igitur fidei Dogmata ad ſuos reſpective, ad quos pertinent Articulos reducuntur, eademque plane ratione ad Doctrinam Chriſti ſpectant, ac veram Catholicam Religionem, quod inductione non nullorum Dogmatum, quomodo *ad Articulos* fidei in ſymbolo Apoſtolorum reducantur, clare oſtenditur. Nam licet in laudatis articulis nulla fiat explicita mentio de neceſſitate & virtute Sacramentorum: de obligatione ſervandi præcepta Decalogi: de bonorum operum fructu & neceſſitate: de divinis litteris, qui nimirum Libri ſint Canonici & vere divini, qui

autem apocryphi, & reiiciendi, multaque alia, ex quibus tamen nullum eſt, cujus mentio implicite ſaltem & reductive in ſymboli articulis jugiter contineatur. 1mo Sacramentorum implicita mentio reducitur ad articulum, quo credimus in Dominum noſtrum JESUM Chriſtum, qui propter nos homines & noſtram ſalutem deſcendit de cœlis & incarnatus eſt. Certe Sacramentorum auguſtiſſimum *Corporis & Sanguinis Domini* à Theologis *Extenſio Incarnationis* jure merito nominatur; quia enim Sacramenta ſunt media ad ſanctificationem & ſalutem noſtram à Chriſto inſtituta, merito eadem ad prædictum articulum, imo etiam ad eum, quo credimus *Remiſſionem peccatorum* apte reducuntur. 2do. Mentio implicita ſervandi decalogi reduci poteſt ad articulum, quo *Credimus in Deum* tendendo in eum ut finem noſtrum ultimum per mandatorum Ipſius obſervationem. *credere enim in Deum eſt* (ait S. Auguſtinus *Tract.* XIX. in Joannem) *credendo Deum amare, & credendo in ipſum ire, eique incorporari, non per quamlibet fidem, ſed per eam, quæ juſtificat impium.* 3tio Ad articulum, quo *credimus vitam æternam* bonorum operum neceſſitas, ac ipſa animæ immortalitas reducitur cum vita æterna ſine animæ immortalitate ſubſiſtere haud poſſit. 4to. Veritas denique fidei, qua hos libros *divinos* eſſe & non alios credimus, rite reducitur

citur ad illum articulum, quo *credimus Ecclesiam Catholicam*, cum ECCLESIA sit custos veri Verbi Divini tam scripti, quam traditi, ac *eorum omnium* quæ in Verbo Dei scripto & tradito continentur juxta genuinum, verum, atque authenticum sensum à spiritu Sancto intentum, eliminandosque, & conterendos quoscumque contra verum sensum Hæreticorum & Novatorum ebulientium errores.

LIII. Ex adverso ad Articulos & Dogmata fidei non pertinent nec reducuntur aliæ, etiam in SS. litteris *contentæ veritates*, quæ *ad Religionis Catholicæ, ipsamque Doctrinam fidei, morumque* minime spectare noscuntur. Quales sunt, ex Veteri Testamento quod Adam omnibus animantibus nomina imposuerit, quod Arca Noemi *Genes VI.* 15. fuerit *trecentorum cubitorum* in longitudine, *quinquaginta* in latidudine, & *triginta cubitorum* in latitudine &c. In nova lege, quod Christus natus fuerit *pannis involutus*, in præsepio positus, octavo die circumcisus, quod magi per aliam viam reversi fuerint in patriam suam. Hæc enim & alia similia multa, quamvis sint *fidei veritates* in SS. litteris *revelatæ*, quia tamen nobis ad credendum propositæ haud sunt, neque ad Dogmata, neque ad articulos fidei referuntur. Unde bene iterum monet D. Thomas 1. 2. *Quest.* 32. *Art.* 4. „ Ad fidem „ potest aliquid pertinere duplici modo, videlicet

 „ *directe*,

„ *directe*, & *indirecte*; Ea ad fidem *directe* per-
„ tinere dicuntur, quæ nobis principaliter divi-
„ nitus revelata sunt, *ut Deum esse unum & tri-*
„ *num*, Filium Dei esse incarnatum — — &
„ quæ distinctam aliquam ad credendum præferunt
„ difficultatem. — — *Indirecte* vero ad fidem
„ pertinent ea, ex quibus negatis sequitur ali-
„ quid contrarium fidei; sicut, si quis diceret,
„ Samuelem non fuisse filium Elcanæ; ex hoc
„ enim sequeretur, scripturam divinam esse
„ falsam. " Hæc ad mentem S. Augustini *Epist. LXXXVI. VII.* angelice scripta fuisse palam est. Africanæ siquidem Ecclesiæ lumen non permittit negare, *quod hæc & similia non pertineant ad fidem*, „ quin destruatur totius S. Scripturæ autori-
„ tas: qua ratione, ait, non tantum credere opor-
„ tet, Adamum peccasse, totumque genus huma-
„ num secum præcipitasse in ruinam, verum eti-
„ am, quod omnibus animantibus nomina imposue-
„ rit, & quæ similia sunt, etsi directe minime
„ ad fidem pertineant. " Idem dicendum de aliis similibus à Deo revelatis & in SS. litteris expressis, quæ licet *secundum se* non videantur ad fidem, nec ad Religionem pertinere, quatenus tamen sunt in S. Scriptura revelata, sunt indirecte de fide quia ex his negatis, eo ipso, quia sunt Scriptura divina, sequeretur Scripturam divinam esse falsam, quod non potest non esse contrarium fidei. Ex

Ex his, quæ hucusque diximus, facile intelligitur, quinam sint Religionis Catholicæ *articuli* & *fidei Dogmata*; superest, ut ad systema, & Clariss. D. P. Bedæ *Planum* nos convertamus, experiendi gratia, an non sit *Planum inclinatum in præcipitio ad præsentaneam ruinam.* Contraria juxta se posita

Magis elucescunt.

LIV. Systema Clar. Viri fideliter possibili claritate & brevitate proposuimus. Id ipsum, primario sustentaculo remoto, se sustinere haud amplius sufficiens, in ima corruit. Ecclesia Catholica contra Refractarios nunquam defendere intendebat, dari inter diversas traditiones pro una earum commune & universale aliquod omnium Doctorum, locorum ac temporum *humanum, moraliter in summo gradu certum & suo modo naturaliter infallibile testimonium*: Sed è contrario juxta Patrum præteritorum Sæculorum exempla invicte propugnabat, necessarium haud esse universalem hujusmodi humanam traditionem, vi cujus suas fidei decisiones adornare deberet & Declarare Religionis sacrata Dogmata, sed, de assistentia Spiritus Sancti secura & certa, pro potestate á Christi sibi tradita, inter diversas traditiones ex sufficientibus documentis pro ea judi-

cabat

cabat traditione, quam in Ecclesia semper viguisse, & *in Diœcesibus cum Ecclesia Romana, aliarum Matre & Magistra unitis, retro ab Apostolorum temporibus exstitisse, ac floruisse reperiebat.* —

Falsum igitur, ruinosum & nulla autoritate stabilitum, sed mere arbitrarium suppositum est, quod Declaratio decisiva alicuius Dogmatis, aut Fidei articuli præsupponere necessario debeat moraliter certum, naturaliter infallibile, ubique, semper, & ab omnibus receptum testimonium. Id contra continuam Ecclesiæ praxin & œcononiam pugnare sciunt omnes Theologi. Solumodo ergo verum est, quod Ecclesia Catholica cum suo capite unita doctrinas genuinas, verasque traditiones SEMPER in suo gremio rite depositas fideliter ob promissam perennem Spiritus S. assistentiam custodierit; quod autem eædem doctrinæ harumque traditiones ubivis & ab omnibus hnmana morali certitudine & naturali infallibilitate innotuerint, id omnino falsum esse, sicut omnes in rebus ecclesiasticis norunt Eruditi, ita & Eximius D. P. Beda, si veritatem genuine fateri velit, concedet.

An (dicat mihi aliquis) non sufficienter ad oculum ostensum & demonstratum reliquimus, quod aliarum ecclesiarum, *etiam apostolicarum* traditi-

ditiones, ſi fors, quocunque demum caſu, exerarunt, cum traditione Romanæ, aliarumque cum ea conjunctarum Eccleſiarum traditione componi & regulari debuerint, niſi à toto Eccleſiæ corpore maluerint abſcindi ? Scimus, quod, ſi alicubi, & ab aliquibus falſa dogmata pro veris intruſa fuerunt, ea debuerint deleri, oblitterari, repudiari, aut, dum alii pro veris & canonibus ſacris libris ſpurios, apocryphos, adulterinos obtrudere ſatagerunt, hi libri in exilium miſſi fuerint, & è contrario, quando ab aliquibus Libri vere Canonici non recipiebantur, demum autoritate ejusdem Eccleſiæ eos recipere, necaſſarium fuerit, & debita reverentia venerari. Nimirum ſemper urget, prout jam monuimus, aureum S. Jrenæi *Lib. adverſus hæres. Cap, III.* effatum: „ ad hanc „ romanam maximam & antiquiſſimam Eccle- „ ſiam neceſſe eſt omnem convenire Eccleſiam.“ Nam per hujus Eccleſiæ, „ quam habet ab Apo- „ ſtolis *traditionem & annuntiatam hominibus fidem* „ per ſucceſſiones Pontificum confundimus om- „ nes, qui QUOQUE MODO, vel per ſui pla- „ centiam malam, vel vanam gloriam, vel per „ cœcitatem, & malam ſcientiam, præterquam „ oportet, colligunt: Ad hanc Eccleſiam prop- „ ter potentiorem principalitatem NECESSE „ EST omnem convenire Eccleſiam. “

LV.

LV. Nemo non videt, quale damnum Ecclesiæ emergeret, & universo Catholicorum cœtui, si pro demonstrandis suis etiam primariis fidei articulis ad mera historiarum documenta deberet recurrere, atque ad nudas hermanephticæ regulas: Si Mysteria SS. Trinitatis & Incarnationis in sua amplitudine, si Sacramentorum existentiam, numerum, efficaciam *mediante quadam morali certitudine ac naturali infallibilitate* christianis populis persuadere teneretur. Certe, supernaturalis infallibilitas à Christo clementissime concessa inutilis redderetur & ex universo periret. Indocti hærerent aqua, & doctissimi in diversas abeuntes sententias continua invicem bella movererent, & semet ipsos publico ludibrio exponere cogerentur. Multiplicata experientia hanc veritatem dudum publico soli exposuit, atque ostendit, nullum remedium esse super pro conservanda fidei veritate, quam donum illius infallibilitatis, quam Christus tersissimis verbis suæ sponsæ adpromisit, ita, ut nec tardus, nec stultus dicere possit: *non intellexi.* Sic S. Augustinus *loc. cit.*

LVI. Verum, Pro! fallax effugiorum genus! D. P. Beda prætendit: „ Infallibilitatem super„ naturalem, & textus pro eadem demonstranda „ in Evangeliis reperibiles, etiam suo Systemate „ salvari,

„ ſalvari, dumodo *finis Incarnationis* penſetur, „ & juxta, *hunc finem* dictæ inſallibilitati ſui „ ponantur debiti limites. „ FINIS (inquit) alius haud fuit, quam *Salus hominum*, & pro ſalute conſequenda *debitæ doctrinæ ſubminiſtatio*. Dumodo igitur (pergit P. Beda) Eccleſia nihil doceat, aut pro Dogmate credendum proponat, *quod à ſalute conſequenda abducit.* „ Nam hucusque „ tantum, & non plus ultrà ſe limites inſallibi- „ litatis extendunt, minime autem requiritur, „ ut, quod Eccleſia *tanquam revelatum* decidit, „ fuerit revera *à Deo revelatum:* ſufficit, quod „ deciſum *verum* ſit, Saluti animarum conducat, „ & neutiquam ab ejusdem via regia abducat. „

Honoratiſſime Vir! Placeat, oro, paulo attentius ea quæ dico conſiderare. Quod Chriſtus propter nos homines & propter noſtram ſalutem deſcenderit de cœlis, ſalusque hominum *finis Incarnationis* ſive *intentivus*, ſive *executivus* (de quo modo, utpote altiori materia, diſputare nolumus) revera fuerit, nemo dubitat: Quod Chriſtus ipſe per ſe, & ſuos Apoſtolos *debitam in hunc finem* ſubminiſtraverit *doctrinam*, & adhucdum per ſuam Eccleſiam ſubminiſtret, in Theologia res decantata eſt, atque extra omnem poſita teli jactum. Verum enim vero, Ecce! in quonam lateat grandis dictorum tuorum & ſuble-

ſubleſtarum illationum Error. Hæc DOCTRINA, de qua ſermo eſt, non eſt terrena & naturalis, ſed ſupernaturalis ex Verbo Dei ſcripto & tradito jugiter derivata, feliciterque in ſalutem noſtram promanans. Unum non poteſt ſeparari ab altero. DOCTRINA ECCLSIÆ fidelibus ad credendum propoſita eſt VERBUM DEI ſive ſcriptum, ſive traditum: Et Verbum Dei, ſive ſcriptum ſive traditum eſt Doctrina Eccleſiæ, quæ ad ſalutem ſupernaturalem conſequendam requiritur, quæ ad eam ducit, nihilominus, quam ab ea abducit v. g. Doctrina ab Eccleſia definita & ad credendum propoſita eſt, *quod Chriſtus ſit verus Deus*: atqui hæc definitio ex verbo Dei ſcripto & tradito deſumpta eſt. Doctrina Eccleſiæ eſt, *Chriſtum eſſe verum hominem.* Et quis ignorat, etiam hanc Doctrinam ipſiſſimum eſſe Verbum Dei ſcriptum & traditum. *Et Verbum caro factum eſt?* Doctrina, quam Eccleſia fideles credere mandat, eſt iſta, *quod Chriſtus ſit vere, realiter & corporaliter præſens in Euchariſtia.* Et nunquid VERBUM Patris omnipotentis ipſumet pronuntiavit: *hoc eſt Corpus meum?*

Non de ſolo pane vivit homo, ſed DE OMNI VERBO, quod procedit de ore Dei. Fide vivimus: Fide ſalvamur, *ſed fide viva & ſupernaturali.* Male igitur, dum de Doctrina fidei,

&

& ad ſalutem conſequendam neceſſaria ſermo eſt, à VERBO DEI abſtrahitur, dicendo: Deciſum *verum* eſſe poteſt, *non revelatum*, cum ex Revelatione ab Eccleſia propoſita & declarata ſolum & unice habeamus non tantum S. Scripturam, atque primarios fidei articulos, ſed etiam quomodo vel minima etiam noſtra opera, omnes halitus & reſpirationes ad ſupernaturalem finem dirigere valeamus. Non licet Eximie Vir ex arbitrio, & proprio capite talia de Eccleſia proferre: de Apoſtolis, de eorum in Epiſcopatu Succeſſoribus, deque eorum doctrina fidelibus ad recte credendum propoſita, quam nunquam aliter, niſi ex Verbo Dei ſcripto aut tradito decidiſſe per omnia retro ſæcula experti ſumus. VISUM EST SPIRITUI S. ET NOBIS! *Act. XV.*

LVII. Quis D. P. Bedæ Mayr via præcluditur, quo minus ad ultimum, in quo ſe recondere deſiderat, aſylum perveniat. Quale illud? „ Dum conceſſi, ait, quod Eccleſia aliquid pro„ ponere poſſit ad credendum tanquam revelatum „ à Deo, quod tamen ab ipſo revelatum haud „ eſt, ſermo mihi fuit *de immediata revelatione*, „ quæ à mediata revelatione debite eſt diſcer„ nenda. “ Ut hoc obſcurum poſſibili claritate donetur, ſumamus eas ipſas paritates, quas propoſuit, de *Purgatorio* ac *Libris Deutrocanonicis* in ſpecie de libris Machabæorum. Eccle-

Ecclesia in Concilio gener. Tridentino Purgatorium docuit sequentibus verbis: „ Catholica „ Ecclesia, spiritu Sancto edocta, *& SS. LITTERIS*, *& antiqua Patrum traditione*, in Sacris Conciliis, & novissime in hac œcumenica „ Synodo docuit, *purgatorium esse:* animasque „ ibi detentas, fidelium suffragiis, potissimum „ vero acceptabili Altaris sacrificio juvari. “ Hæc Doctrina fundata est in Libris Machabæorum II. *Cap. XII.* Jam ergo, in Systemate D. P. Bedæ, dum admittit, Ecclesiam in definiendis libris canonicis *errare posse*, aut assignando Libros Deutrocanonicos *jam fors actu errasse*, utique dicere debuit, „ dum concessi, quod Ecclesia aliquid proponere possit ad credendum tanquam „ á Deo revelatum, quod tamen ab ipso revelatum haud est, sermo mihi fuit *de immediata* „ *revelatione* “ v. g. alicujus libri canonici. Quia ergo purgatorii doctrina á via salutis neutiquam abducit, Doctrina juxta ipsum VERA est infallibiliter, etsi fors non fuerit REVELATA, &, etiamsi Libri Machabæorum minime inter canonicos numerari mereantur.

Dumodo D. P. Beda vel leviter oculos aperuisset, absque mora debuisset perspicere, quod, si á SS. Patrum, signanter S. Augustini deflectat principiis, ac non *ante omnia* ad supernaturalem

ex

ex motivis supernaturalibus credibilitatis autoritatem Ecclesiæ se se convertat, *cum sua naturali qualicunque*, sed millenis crisibus exposita infallibilitate ubivis impingat, & nunquam in statu sit, qui, modernis præcipue temporibus, Naturalistis, Materialistis, atque Illuminatis Libros Protocanonicos non tantum non demonstrare, sed ne quidem efficaciter probare valeat. Ecclesiæ solius irrefragabilis, absoluta, & omnibus numeris infallibilis in fidei & morum materia supernaturalis autoritas fecit, ut, quidam libri reciperentur in Canonem librorum Sacrorum, quidam manerent apocryphi. Quare enim quatuor tantum EVANGELIA fuerunt agnita, non vero cætera Thadæi, Thomæ, Barnabæ, Bartholomæi, Andreæ &c.&c.? cur unicum tantum librum actuum Apostolorum habetur pro divino, cum tamen usque ad S. Augustini tempora adessent ACTUS nominibus *Andreæ*, *Philippi*, *Petri*, *Thomæ* Apostolorum? Nihil mihi dicatur, quod ipsis defuerit omnium moraliter Ecclesiarum Testimonium. Hoc enim de omnibus aliis Libris, quos *Protocanonicos* appellamus, dici poterit, etiam de ipsis quatuor Evangeliis, quia alias S. Augustinus tam festive dicere non potuisset, *Ego Evangelio non crederem, nisi me moveret* ECCLESIÆ AUTORITAS.

Pari modo Proteſtantes, qui alias nihil ſe credere prætendunt, niſi quod *ex ipſa imediata Revelatione Verbi Divini* clareſcit, ſuam D.P.Bedæ *mediatam revelationem* cum riſu explodent, Si Eccleſia errare poteſt, aut, jam ſors actu erraſſe fingitur in aſſignandis Verbi divini libris, ſi potuit libros apocryphos pro veris obtrudere, quare non poſſit errare in iis, quæ tanquam mediate revelata jactantur, ita, ut ſicut perperam *revelata* dicuntur, etiam dicantur *falſa*, ac genuino verbo Dei repugnantia? Et quidem iſtud jam antea factum eſt, antequam de novo P. Bedæ Plano quispiam cogitare potuiſſet.

LVIII. Clariſſ. D. Joh. Fridericus Stein Theologiæ Doctor & Profeſſor, Concionator Aulicus Primus & Sereniſſimi Princip. & Marchionis Badeno - Durlacenſis Concil. Eccles. & Superin. Diſſertationem Critico - Theologicam *de Autoritate Codicis Sacri* Sereniſſimo Marchioni Baadeno - Badenſi Auguſto Gregorio ex Catholicis Marchionibus Ultimo dedicatam publicis typis evulgavit. Hæc Diſſertatio mihi vix iſtas Regiones ingreſſo ad Refutandum oblata fuit, quod etiam præſtiti data occaſione, dum Tomum III. contra Febronium adornovi, ut videre eſt eodem *Tom. III. Parte II. §. I. à fol.* 110. Laudatus Dom. Superintentor *Cap. VIII. §. II.* De Libris Deutro-

Cano-

Canonicis agens reiicit Libros Judith, Sapientiæ, Syracidis, Machabæorum &c. ex rationibus, „ quod neque Synagoga eos in Canonem receperit, „ Testimonio Josephi careant, *quod FABULAS* „ *contineant* quod fabulosa sapiant, *quod historica* „ *veritate destituantur*, quod pugnent cum VERIS „ ac genuinis libris Canonicis, „ quibus sequior ætas nomen librorum *Protocanonicorum* imposuit. Abeat jam D. P. Beda Mayr cum sua *mediata revelatione*, & unionem cum Protestantibus procuret.

Clariss Justin. Febronius contra Magistrum *Lipsiensem* Carolum Frid. Barthium *Appendice IV.* calamum stringens ait: memoratos libros sine omni dissensione, aut acri disputatione ab universa Ecclesia in Canonem receptos fuisse, nec ullam tergiversationem contra illos motam, donec Sæculo XVI. nostri Theologi ex iis libris deutrocanonicis depromerent argumenta pro orationibus, jejuniis, eleemosinis, pœnitentiis, virginitate, castitate viduali &c. etiam *quod salubre sit pro defunctis orare &c.*; tunc enimvero Protestantium surrexit ars critica sibi persuadentium, argumenta nostra eversum iri, si in dubium vocarent illorum librorum divinitatem, tali enim modo Doctrinam Catholicam non solum *non revelatam* sed *falsam* omnino proclamari posse, &

immediatam illam revelationem a Christo factam, *portæ inferi non prævalebunt adversus eam*, item, *Ego vobiscum sum usque ad consummationem*, Decisionibus Ecclesiæ Catholicæ neutiquam applicabilem esse, nisi ad summum CONDITIONATE. Plura in hanc rem adduci possent, si foret necessarium: sed jam video honoratissimum D. P. Bedam vela contrahere, &, ut oportet, naviculam Petri respicere.

Generosa Errati Revocatio.

LIX. Eruditos minime latet, Eliam Du Pin Sorbonæ Doctorem & Professorem regium novam *Scriptorum Ecclesiasticorum* a. 1690. Bibliothecam edidisse, quam tamen doctissimi viri perlectam & in pluribus locis minus habentem á se deprehensam apud Franciscum Harlæum Archiep. Parisiensem denuntiaverunt veluti scatentem mendis ac pluribus erroribus. Archiepiscopus accersitis quibusdam Parisiensis facultatis Doctoribus in mandatis dedit, ut volumina hucusque edita acurate percurrerent, & desuper, notatis, censuratisque *malis propositionibus* judicium suum deponerent. In rem nostram Dupinius in dissertatione *præliminari fol.* 126. ita scripsit: „ circa libros „ Veteris Testamenti *Antiquitas Christiana* secuta

est

est canonem Judæorum.“ & *Tom. I. fol.* 186.
„ *Non alios Veteris Testamenti libros canonicos agno-*
„ *verunt quam in hebræorum canone contentos.*“
Has duas propositiones præter alias acri censura castigarunt prædicti Doctores. Dupinius vero ad Archiepiscopum vocatus, dum Deputatorum observationes legisset, hujusmodi circa duas has propositiones declarationem edidit.

Maturius Deputatorum Doctorum observationes perpendens, „ Fateor, quod re ipsa mihi
„ exciderint expressiones quædam nimiæ, duræ,
„ obscuræ & scandalosæ, aliquæ etiam fors fal-
„ sæ, & præter mentem meam contrariæ veri-
„ tatibus, quas semper veneratus sum, & in Ec-
„ clesia tenendas credo: qua propter obscura
„ dilucidare, nimis asperas expressiones emolire,
„ & in reprobum sensum interpretandas declarare,
„ me obstrictum sentio, ut me Orthodoxum esse,
„ ac non nisi ex inadvertentia peccasse, testatum
„ reddam. Primo igitur admitto, prout semper
„ admisi *tanquam libros Cananicos*, cunctos in
„ Concilii Tridentini canone sessione IV. expres-
„ sos, *tanquam inspirante Numine scriptos*, de
„ quorum autoritate nemini dubitare liceat, &
„ quamvis Eorum *aliqui* in primis sæculis *à QUI-*
„ *BUSDAM Ecclesiis privatis* non fuerint re-
„ cepti, jam tum ab Ecclesia tanquam Sacræ

„ Scripturæ Libri agniti, & ut tales à pluribus
„ Patribus citati fuerint: quapropter propositio
„ illa *circa libros veteris testamenti antiquitas Chri-*
„ *stiana secuta est Canonem Hebræorum*, non ge-
„ neraliter de omnibus Ecclesiis, cunctisque pri-
„ morum trium sæculorum Patribus intelligenda
„ est, & quamvis mea verba expresse non distin-
„ quant inter Protocanonicos & Deutrocanonicos,
„ *de his* tamen intelligi volo &c. "

Quamvis Clariss. P. Beda non tanta verborum amplitudine, eandem tamen in sua Apologia Retractationem *pag.* 248. 249. sequentibus expressit: relinqui posse opinionem, „ Ecclesiam errare
„ quidem posse, *declarando aliquid immediate re-*
„ *velatum esse à Deo*, quod tamen ab Ipso *revela-*
„ *tum* haud est, non tamen posse errare, aliquid
„ proponendo fidelibus ad credendum, quod *fal-*
„ *sum* foret, aut ad salutem consequendam mi-
„ nus conduceret. " Queis Ipsus suo novo operi denuntiationem fecit, Idem dejecit, statuitque demoliri, utpote in alieno solo fundamenta ponens — *tenui tibicine fulta omni ex parte sui.*

Planum Clarissimi D. Benedicti Stattleri SS. Theologiæ Doctoris &c. &c.

LX. Clarissimi istius Theologi Projectum *solum & unicum* (ut in suo desuper edito libello loqui-

quitur) *aptum*, quo Proteſtantes ad ſanciendam cum Catholicis unionem moveantur & animentur, hac occaſione in medium producere ex ſuſcepto in nos munere cogimur & obligamur, ut Catholici in plena fide ſtabiles permaneant, & Proteſtantes ab alienis præjudiciis purgentur. Absque ulterioribus extravagantiis ſyſtema Clariſſ. Viri, & Planum examinare, atque duodecim hujus *membra* luſtrare placeat: Hæc membra valeant pro totidem *greſſibus* ad ineundam Unionem. —

Primus ad unionem ineundam greſſus.

Proteſtantes tenentur ante omnia (ſic Synopſis ipſorum Clar. Stattleri verborum) *medium* ſuſcipere, quod Chriſtus pro ſervanda in ſua Eccleſia unione & pro exſtructo à ſe ædificio uſque ad finem mundi conſervando unice ſufficiens eſſe judicavit. Hoc medium ſicut claris verbis in SS. litteris eſſe debet, ita, Eidem ab omnibus ſubſcribatur, neceſſe eſt. Medium iſtud aliud haud eſt, quam *publicum docendi munus*, & iis, qui hoc munere funguntur, adpromiſſa in perpetuum Spiritus Sancti aſſiſtentia.

Et quidem idem Salvator hujus ſui ædificii fundamentum, ſeu *petram* verbis adeo claris con-

ſtituit, ut ea negari, aut in transverſum agi à nemine poſſint: tali coherentia, ut ad futura tempora ſerviant *pro fundumentali lege*, vi cujus Eccleſia per totum orbem diffundenda doceatur, regatur & conſervetur. Hinc paucis ita concludi: Proteſtantes tenentur infallibilitatem Præpoſitorum Eccleſiæ firmiter agnoſcere & profiteri, ſi definitivas deciſiones faciant *circa formaliter à Chriſto revelatas Doctrinas*, & *juxta latam à Chriſto ipſomet fundamantalem legem.*

Gradus Secundus.

Proteſtantes debent *Eccleſiam Catholicam* ſolam pro vera Chriſti Eccleſia agnoſcere, in qua non tantum quædam neceſſaria pars, ſed totius Doctrinæ Chriſtianæ ædificium cum omnibus ad Salutis ordinem ſpectantibus mediis á Chriſto inſtitutis usque nunc ſine defectu & detrimento conſervatum fuit. Atque iſtud ex hac ratione, quod hæc ſola Eccleſia fundamento, ſeu *petræ* juxta *fundamentalem à Chriſto præſtabilitam legem* conjuncta ſit, & coadunata perennet. Omnis enim, qui alteri fundamento, quam quod Chriſtus ipſe poſuit, ſuperædificat, ſubſiſtere haud poteſt, quia primariam doctrinæ partem perdidit.

Tertius

Tertius ad unionem gradus.

Obligabuntur proin Proteſtantes *formales* illas & juxta litteralem ſenſum in S. Scriptura contentas Doctrinas, juxta eundem formalem & verbalem ſenſum, utpote à Deo intentum admittere haud aliter, quam eas intelligendas eſſe Eccleſia Catholica legali deciſione declaravit. Cujusmodi Doctrinæ ſunt, quæ docent veram Chriſti Domini præſentiam ſub ſpeciebus panis & vini in Sacramento Altaris: veram poteſtatem abſolvendi à peccatis &c. hæc ſiquidem Doctrinæ litteraliter in S. Scriptura expreſſæ leguntur, ſimulque pro iis pugnat communis Traditio.

Pari modo *verbaliter*, *ſeu formaliter* in eadem S. Scriptura continetur, & commendatur Sacrificium Sanctiſſimi Altaris Sacramenti ab ipſomet Domino noſtro Jeſu Chriſto inſtitutum, Corporis nimirum & Sacratiſſimi Sanguinis in cruce immolati pro inviſibili animarum noſtrarum alimento, dum dixit: *accipite & manducate hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur: bibite ſanguinem, qui pro vobis fundetur. Hoc facite in meam commemorationem.*

Quid enim hæc verba aliud ſignificant, quam oblationem, quæ cum ſanguinis effuſione incepit, & incruento modo continuatur.

Hiſce

Hiſce addit Clariſſimus Vir: „ ab his me-
„ moratis, verbaliter, litteraliter, ſeu (juxta
„ ipſius loquendi formam) *formaliter revelatis*
„ Doctrinis Eccleſiam Catholicam nihil poſſe re-
„ mittere, quin impoſitum ſibi divinitus mandatum
„ *omnibus omnia docere*, quæ Chriſtus atque Apo-
„ ſtoli credenda eſſe propoſuerunt, negligeret.“
Antequam ulterius progediamur, pro intelligenda
penitius *fundamentali lege* (de qua toties loquitur)
& *toto Stattleriano ſyſtemate*, quædam reaſſumere
neceſſe eſt, eaque

Valde memorabilia Penſanda.

LXI. Quidnam ſub fundamentali illa, atque
pragmatica ſanctione & lege intelligere debeamus,
ex Parte II. *à fol.* 55. *cit. opuſculi* rite percipimus,
ubi ita habetur: „ Duos SS. Apoſtolos Matthiam
& Joannem cum ſolemni aliorum conſenſu fun-
damentalem aliquam legem in ſuis Evangeliis pro-
mulgarunt, quam Chriſtus ipſe pro Regimine ſuæ
Eccleſiæ æternam eſſe voluit & inviolabilem.
Dixerunt nimirum, ſe à ſuo Magiſtro in mandatis
accepiſſe *auditam ex ore ſuo Doctrinam* omnibus
gentibus, populis & nationibus prædicandi, do-
centes, OMNES OMNIA SERVARE, quæcun-
que ipſis mandaverat. Cum autem bene ſciamus,

Apo-

Apoſtolos non fuiſſe Philoſophos hujus mundi, homines doctos, eruditos, & ad magna expedienda idoneos, neceſſarium plane omnibus videbitur, Sapientiſſimum Legislatorem debuiſſe eos alio medio, eoque efficaciſſimo aptos reddere, qui univerſum Mundum ad Legem ſuam amplectendam, ſervandamque perſuaderent: absque omni dubio aliqua inſigni autoritatis Specie Apoſtolis opus erat, ut fideliter & potenter tantum opus perficerent.

Potuiſſet amandiſſimus Salvator in hanc rem determinare *miraculorum gloriam*, in quantum non tantum Apoſtoli, ſed eorum etiam in perpetua tempora Succeſſores fidem ſecuram de ſuis dictis & ſcriptis populis redderent, eaque inſignium portentorum radiis, veluti totidem ſigillis munirent & confirmarent. Sed non ita placuit altiſſimo, ſed Apoſtolis, ipſorumque usque in finem mundi ſucceſſoribus in hunc finem à Chriſto adpromiſſa eſt perennis ſpiritus S. aſſiſtentia, *qui doceret eos omnia, & ſuggereret ipſis omnia, quæcunque mandaverat.* Joannis XIV. 26. quare Apoſtoli ipſi fundata Chriſti Religione in ſuis difinitivis deciſionibus ad Spiritus Sancti aſſiſtentiam appellabant: *Viſum eſt Spiritui Sancti & nobis. Act. XV. 28.* " —

Jam

Jam vero, ut ad Legen Fundamentalem propius accedamus, hujus ULTIMATUM dicti SS. Apostoli Matthæus & Joannes subministrant, dum energicis verbis manifestant & Sacris litteris consignant, quando, & quomodo Christus S. Petrum lapidem fundamentalem hujus sui ædificii autoritative constituit: *Tu es Petrus & supra hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* Matth. XVI. 16. *Petre amas me! pasce agnos meos pasce agnos meos: Pasce oves meas.* Joann. XXI. 15. QUICUNQUE ergo, & QUAMDIUCUNQUE Pastores Ecclesiæ huic Petræ rite superædificati existunt, hujusque supremo Pastori uniuntur, tamdiu Ecclesia ab iis repræsentata in Doctrina ab ipsomet Christo tradita secure subsistet. „ Neque tamen (prout ulterius monet) opus est ad hanc subsistentiam conservandam, ut omnes & singuli hac unione, atque in suo centro uniti Pastores, seu Episcopi *in definitiva aliqua decisione statuenda* conveniant, quia Christus Matthæi XVIII. 20. promisit: quod, *si duo, vel tres in suo nomine*, id est (juxta mentem suam, juxta legem suam, adeoque una cum Petro, congregentur) Ipse velit esse *in medio Eorum.*

LXII. Demonstrata *Infallibilitate Ecclesiæ* Clariss. Autor ad *hujus limites & restrictiones* delabitur,

bitur, & eadem *Parte II. à fol.* 141. ita loquitur: „ Duos esse (inquit) pro his determinandis limitibus S. Scripturæ passus. 1mo. *Joannis XIV.* 26. *Spiritus Sanctus, quem Pater mittet in nomine meo, docebit vos, & suggeret vobis omnia, quæcunque dixi vobis.* Ex his verbis ampliorem Spiritus Sancti assistentiam, sive Ecclesiæ infallibilitatem inferri haud posse, affirmat, *nisi ad declarandam suam FORMALITER AC VEBALITER ipsis comunicatam Doctrinam.* Pro altero passu assignat verba *Matthæi XVI.* 16. quibus Christus promittit, se Ecclesiam supra Petrum ædificaturum sic, ut portæ inferi nunquam contra eam prævalere valerent. Neque hic, ait Stattlerius, Christus plura promisit, quam, quod contra omnes Orci assultus servare & conservare velit Doctrinam à se ipso Apostolis *verbaliter* communicatam. Hæc enim, pergit, dumodo usque in finem Mundi illæsa permaneat supra fundamentalem lapidem Petrum ædificata, tunc permanet fundamentum, & super hoc positum, à Christo ædificium.

Eodem modo (sunt verba ipsius) dum Salvator noster *Matthæi ultimo* adpromisit, se cum Apostolis usque ad consummationem sæculi, adeoque etiam cum Eorum successoribus permansurum, neutiquam promisit, quod *in aliis* cum

ipsis

ipsis permanere velit, *nisi in iis*, quæ executionem sui ultimi mandati concernerent, nempe, ut OMNES OMNIA SERVARE doceant, quæcumque ipse mandavit. Quibus Clariss. Vir tres propositiones subjungit. I. juxta litteralem verborum ex SS. Evangeliis adductorum sensum Infallibilitas Ecclesiæ concessa est tantum *super verbaliter*, *seu formaliter datas* à Christo Doctrinas, leges, & institutiones tam Sacramentorum, quam jurisdictionis, & potestatis Præpositorum Ecclesiæ, non plus, amplius & ultra. Proin II. Ecclesia nunquam aliquid verbalem Christi Doctrinam esse solemniter decidet, aut declarabit, quod talis non est. Ex quo sequitur III. hanc ipsam Ecclesiæ formaliter concessam infallibilitatem medium securissimum esse, per quam genuina in toto complexu suo Doctrina, institutiones & personales Salvatores nostri ordinationes conservabuntur.

LXIII. Lamentatur postea Stattlerus, quod præter propriam Doctrinam Christi *plures aliæ mere humanæ Doctrinæ*, & nunqum formaliter ab Eo revelatæ sub eadem, ac sic verbaliter præpositæ fuissent, infallibilitatis forma & autoritate fidelibus tenendæ obtrudantur, eo magis, quia ex integro (uti loquitur) negari haud potest, quosdam Catholicos Theologos limites infallibilitatis multum ultra formales Christi doctrinas exten-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

tendiſſe. Antequam hæc *humana additamenta* examinemus, celeri pede tranſilire haud licet, quæ hucusque à Clar. Domino Stattlero propoſita fuerunt, Duo ſcilicet Parerga, quæ viris criticis emunctæ naris non poſſunt non diſplicere. 1mo. quod textum principalen S. Evangelii, in quo robur ſui Syſtematis firmat, male reddiderit. 2do. Doctrinam ab Apoſtolicis Scriptoribus traditam non ſartam ſatis, tectamque conſervaverit.

LXIV. Primum, ut pateat, debemus ultimos duos XIX & XX. S. Matthæi verſus recitare, qui ita ſonant: „ Euntes ergo docete omnes gen„ tes, baptizantes eas in nomine Patris & Filii „ & Spiritus Sancti: Docentes *eos ſervare omnia*, „ quæcunque mandavi vobis. Et ecce ego vobis„ cum ſum omnibus diebus usque ad conſumma„ tionem ſæculi. " Ubi *loc. cit. fol.* 56. Clariſſ. Stattlerus ita, & quidem majoribus litteris textum vigeſimum & ultimum reddit: *docentes OMNES OMNIA ſervare*, Alle alles das Beobachten zu lehren, quæcunque mandavi vobis. Hæc ſiniſtra verbi *eas* in OMNES mutatio pugnat contra vulgatam non minus, quam textum græcum, qui accurate ita habet διδάσκοντες αὐτοὺς τηρεῖν πάντα ὅσα ἐνετειλάμην ὑμῖν καὶ, ἰδοὺ ἐγὼ μεθ' ὑμῶν εἰμι πάσας τὰς ἡμέρας ἕως τῆς συντελείας τοῦ αἰῶνος. Non commemorarem jam iſta, niſi Clariſſimus Vir talia ad

Pro-

Proteſtantes exoraſſet, eosque ad unionem nobiscum ineundam invitaſſet: niſi hi ipſi hujus immutatione verbi ſcandalizari poſſent, atque hujus ipſius verbi EAS in OMNES, αὐτοὺς in πάντα alteratione abuti, cum ſciamus, quod eodem vocabulo πάντα OMNES, *bibite ex eo omnes* nullo marte aliter intelligi velint, quam, quod *omnes in individuo fideles* ex præcepto divino calicis uſu gaudeant, & inique ab eo arceantur, Neceſſario igitur hujus verbi alteratio in Clar. D. Stattlero notari meretur, eo magis, quia eadem non obvie (quod diſſimulari deberet) ſed præmeditate *majoribus* litteris, deinde *communibus* non una, vel altera vice, ſed quinque, ſed decem, ad nauſeam usque vicibus, & amplius uti voluit.

Proin Proteſtantes, ſi OMNES OMNIA ſervare deberent, quæ Chriſtus Apoſtolos verbaliter & formaliter docuit, immediate concludent, ergo OMNES abſolvere poterunt à peccatis, OMNES Eucharistiam conficere, OMNES Sacrificare &c. Nam, ait Puſſendorfius *Tract. de habitu Relig. &c.* 30. „ Sicut aliorum Collegiorum mem„ bra cæteroquin æqualia ſunt, & non niſi ſtatu„ ta quædam condere poſſunt, & unum, aut „ plures ex ſuis eligere in quos poteſtatem totius „ collegii transferant, ita rem ſe habere in Eccle„ ſia. “ Scio optime, qualem excuſationem ingerere

gerere quis posset, sed hic nulla excusatio habet locum, quia vel unicum Verbum sacræ scripturæ mutare, alterare aut corrigere nunquam licuit. Audiamus exemplum. Martinus Lutherus in translatione S. Scripturæ capite I. geneseos v. 1. *prima littera* erravit. Nam, *In principio creavit Deus cœlum & terram*, ita reddidit: Am Anfang schuff Gott Himmel und Erden. Ubi ipsum ex meritis egregie castigavit Clariss. P. Franc. Xav. Widenhofer, S. J. Theologiæ Professor in Universitate Wirceburgensi in sua *S. Scriptura dogmatica ac polemica explicatione in Lib. I. Moysis, cap.* 1. „ Male, ait „ P. Widenhofer, Lutherus egit, quia præfixum „ ב non tantum significat am, *initium temporis*; „ prout Conc. Lateranense IV. de *fide Cath.* & S. „ Augustinus *Lib. XI. de civit. Dei cap.* VI. explicant, sed etiam *in* (im Anfang) ut juxta Eundem „ S. Augustinum *de genes. ad litteram*, & S. Basilium *Lib. I. Hexam.* etiam intelligi possit VERBUM, *IN QUO, & PER QUOD facta sunt omnia.* Joannis I. 3. quem etiam citat & confirmat Hadrianus Papa, & in scripto pro synodo gener. Nicæna II. Isidorus Hispalensis, qui „ ait. *in principio.* — Hoc PRINCIPIUM est „ Christus, sic in Evangelio ait: *Ego sum Principium, qui & loquor vobis.* “ Hoc à minori ad majus, ab unica littera ad integrum verbum me-

moramus, ut textus, verba & litteræ, præcipue, si iis utamur *ad intentionem nostram fundandam*, prout Clariss. Stattlerus fundare voluit, relinquantur, sicuti sunt, quia S. Chrysostomo *Homil. XXII. in genes.* teste *neque vel Syllaba, vel apiculus est in SS. Litteris, in cujus profundo non sit grandis Thesaurus.*

LXV. Et ita quidem in primo passu ad faciendam cum Protestantibus unionem OMNES OMNIA SERVARE debere prætenditur, dum passu altero TANTUM ILLA SERVANDA ESSE audivimus, quæ amantissimus Salvator *verbaliter & formaliter* servanda esse inculcaverat. Laudamus Clariss. Autorem, quod CENTRUM Unitatis Catholicæ PETRUM esse, & ejus in Romana Cathedra Successores propugnaverit, id enim jam ante triginta annos speciali dissertatione demonstravimus. An vero reliqua etiam, quæ Clariss. Dominus huic suæ Deductioni immiscuit, veritati & principiis Theologicis consentanea sint, eruditis Lectoribus diiudicanda relinquimus Verba Stattleri sunt, ut sequitur: „ ampliorem Spiritus „ S. assistentiam, seu infallibilitatem Ecclesiæ à „ Christo promissam non fuisse, nisi pro declaranda suà formaliter & verbaliter *ipsis à se ipso* „ communicata Doctrina. Nam, cum *Matthæi* „ *ultimo* Apostolis adpromisit, se cum ipsis usque

ad

„ ad consummationem sæculi, adeoque etiam
„ cum eorum Successoribus manere velle, neuti-
„ quam promisit, quod *in aliis* cum ipsis perma-
„ nere proposuerit, *nisi in iis*, quæ executionem
„ sui ultimi mandati concernerent, ut omnibus
„ omnia servare doceant, quæcunque ipse man-
„ davit. Certe (addit *loc. cit. fol.* 194.) eodem
„ modo quilibet intelligeret *Declarationem supre-*
„ *mi cujusdam Regentis*, qui suo Ministro impone-
„ ret, ut certas leges à se latas promulget, eas-
„ que omnes subditos suos faciat observare, ad-
„ juncta clementissima assecuratione suæ assisten-
„ tiæ. Nemo sane auderet asserere, talem Mi-
„ nistrum Legibus formaliter à Principe latis posse
„ alias ex propria propensione fabricare, & pri-
„ oribus adjungere. "

Hic viri doctissimi interrogabunt: quid ergo censendum sit de Epistolis SS. Apostolorum Petri & Pauli, Joannis & Jacobi? Quærent, an SS. Scriptorum Canonica scripta tantum contineant ea, quæ ipsi verbaliter à Christo *audierunt*, aut *ab aliis* à Christo Domino *formaliter & verbaliter* prolata fuisse, intellexerunt? Si non: ergo totum Planum Stattlerianum corruit. Si sic: Tunc alia se se difficultas insinuat, quomodo S. Paulus Doctor gentium I. *Corinth. Cap.* VII. 10. scribere potuerit. *Præcipio non Ego, sed Dominus*: &

paulo post *vers.* 12. subjungere: *cæteris dico Ego, NON DOMINUS*? Doctissimus Melch. *CANUS* sic advertit: S. Paulum, ut distingueret ea, quæ Christus formaliter, verbaliter, seu proprio ore protulit, dixisse: *Præcipio non Ego, sed Dominus;* &, ut indicaret ea, quæ ipse dixit *secundum consilium suum*, licet ea Christus verbaliter non protulerit dicere: *Cæteris Ego dico, non dominus*, id est, Dominus proprio ore non dixit, sed Ego dico secundum consilium meum, quod tamen consilium non est meum hominis, sed spiritus Sancti, unde est, quod ibidem in fine capitis afferat: *puto autem, quod & Ego spiritum Dei habeam.* Sed fors ista *ad opiniones Scholasticas* spectabunt, ad quas SS. Apostolorum SINGILATIM *sumptorum infallibilitatem* clar. D. Stattler ablegare non dubitavit, hæc enim sunt *fol.* 182. *loc. cit.* formalia: „ EGO IPSUS pro *mera opinione* Scholastica repu-
„ to, *quod Apostoli SINGILATIM privilegium*
„ *infallibilitatis obtinuerint*, & credo, omnem
„ eorum personalem infallibilitatem sitam fuisse
„ in fundamentali lege, & humili illius obser-
„ vantia, ne quid ex proprio sensu docerent. „.
Id probare nititur exemplo ipsius S. Pauli, *quia Evangelium suum* cum Petro contulit, & controversiam *de observatione Legalium* ad ipsum & alios Jerosolimis congregatos Seniores remisit. „ Ex

„ adverso

„ adverſo credo (ſunt ulteriora Stattleri verba)
„ quoslibet *ſingilatim* Episcopos *æque* infallibi-
„ les eſſe ac SS. Pontifices, *quamdiu* legem fun-
„ damentalem obſervant. “

De hoc *æque*, & *quamdiu* Volumine II. videbimus, quando de Infallibilitate, Jurisdictione, &prœrogativis tam SS. Pontificum, quam Epiſcoporum diſtinctim (unum debite ab altero ſeparando, ac ſingula ſeorſim, ut omnis confuſio & materiarum evitetur commixtio, pertractando) ex profeſſo agere conſtituimus. Pro hac vice inquirere oportet, an adducta S. Pauli exempla Ejus, aliorumque Apoſtolorum infallibilitati in prædicando & Epiſtolas canonicas ſcribendo, vel minimum præjudicium inferat. Errat multum Clar. ac doct. D. Stattlerus, ſi putat, S. Paulum ideo ad S. Petrum veniſſe, ſuumque contuliſſe Evangelium, quaſi vero *ſe fallibilem* credidiſſet in prædicando Evangelio, aut putaſſet, errores latere in ſuo Evangelio. Apage à Vaſe Electionis tantum dedecus & nefas. S. Hieronymum brevitatis gratia audiamus, ne in re certa diutius nos detineamus. Maximus in ſcripturiſticis Eccleſiæ Doctor *ad Paulinum* eruditiſſima Epiſtola ita ſcribit: „ Legimus in veteribus hiſtoriis quosdam
„ luſtraſſe Provincias, novos adiiſſe populos,
„ maria tranſiiſſe, ut eos, quos ex libris nove-

 „ rant,

" rant, coram quoque viderent. " De Apollonio præter alios continuat sic: " Apollonius ille in " travit Persas, pertransivit Caucasum, Albanos, " Scythas, Massagetas, opulentissima Indiæ regna " peragravit, & ad extremum latissimo Phison " amne transmisso pervenit ad Bachtrianas, ut " Hianham in Throno sedentem aureo, & de " Tantali fonte potantem inter paucos discipulos " *de natura, de motibus Syderum, ac dierum cursu* " audiret docentem. Inde per Elamitas, Baby- " lonios, Caldæos, Medos, &c. reversus Alexan- " driam perrexit in Aethiopiam, ut Gynosophistas, " & famosissimam solis mensam videret in sabulo. " Sed (pergit S. Pater) quid loquar de Sæculi " hominibus? Cum Apostolus Paulus, Vas elec- " tionis & Magister gentium, qui de conscientia " *tanti in se hospitis* loquebatur: *An experimen-* " *tum quæritis Ejus, qui IN ME LOQUITUR* " *Christus*? post Damaschum, Arabiamque lustra- " tam ascenderit Jerosolymam, *ut videret Petrum,* " & manserit apud eum diebus quindecim. Hoc " enim mysterio hebdomadis & ogdoadis futurus " Magister gentium instruendus erat. Rursum- " que post annos quatuordecim, assumpto Bar- " naba & Tito exposuerit Apostolis Evangelium, " ne forte in vacuum curreret, aut currisset: ha- " bet enim nescio quid latentis ἐνεργείας VIVA

" VOX,

„ VOX, & in aures discipuli de autoris voce „ transfusa FORTIUS SONAT. “ Neutiquam igitur S. Paulus ad Petrum properavit, quasi vero de suo Evangelio dubitaret, quasi nesciret, se *gentium Doctorem* constitutum fuisse à Domino, & quod Idem, qui in Petro operabatur, etiam operatus sit *in ipso* inter gentes, sed, ut videret Petrum, & posteris præberet exemplum, ut ex ore supremi Pastoris veluti discipuli Sacram Doctrinam reciperent, atque in Petra consolidarentur. De S. Paulo igitur, Petro & Joanne, aliisque apostolis affirmare *esse opinionem scholasticam quod donum adepti fuerint infallibilitatis*, est quid nimium, hetoroclitum & inauditum. Concludit S. Hieronymus *loc cit.* „ Pharisæi stupent in „ doctrina Domini, & mirantur IN PETRO ET „ JOANNE, quomodo legem sciant, cum litte„ ras non didicerint. Quidquid enim aliis exer„ citatio, & quotidiana in lege meditatio tri„ buere solet, JLLIS HOC SPIRITUS SAN„ CTUS suggerebat, & erant juxta quod scriptum „ est θεοδίδακτοι

Nemo igitur credat, quod Spiritus Sanctus, qui, cum complerentur dies Pentecostes DISPERTITIS linguis tanquam ignis IN SINGULOS Apostolos descendit, seditque SUPER SINGULOS EORUM, SINGULOS unquam deserere volue-

rit. Plane in hoc Plani istius gravissimus error subsistit, quando ad supernaturalia credibilitatis motiva tam parum attendit; Dum Ecclesia *in primis suis Pastoribus* per totum orbem *divisis* & Evangelium omni creaturæ prædicantibus autoritati tam graviter præjudicat: Dum tandum id, quod *collective* intuitu successorum suorum, non autem *singilatim* in Personis suis factum est, attendit: Dum Testimonium SINGULORUM Tantum debilitet, quantum extulit Christus Dominus & Deus noster, qui Eos PRO TESTIBUS Resurectionis suæ, pro testibus singilatim utique idoneis, debitisque qualitatibus ornatis, & constantissima fidelitate & veritatis amore dotatis eligere dignatus est: de quibus Salvator *Act. I.* dixit: „ accipietis virtutem supervenientis Spiritus Sancti „ in vos, & eritis mihi testis in Jerusalem, & „ in omni Judæa & Samaria & usque ad ultimum terræ. „ Quale testimonium quoque reddiderunt postmodum SINGULI Eorum usque ad profusionem sanguinis, ita, ut ob motiva credibilitatis supernaturalia in Apostolis quid divinum, atque *ex dictis & scriptis Eorum* Dei ipsius inspirantis infallibile testimonium totus Mundus susciperet, &, ut in Crucifixum credat, permoveretur.

Præ-

Prætensa Additamenta humana.

LXVI. Proposuimus n. LXIII. Quœrimonias Clar. & doctiss. D. Stattleri, „ quod *præter* pro„ priam Doctrinam Christi *plures aliæ mere humanæ* „ *doctrinæ*, & nunquam formaliter ab Eo reve„ latæ sub eodem Infallibilitatis prætextu, ac si „ formaliter & verbaliter à Salvatore nostro pro„ positæ fuissent, fidelibus tenendæ obtrudan„ tur. " Eo magis hoc torquet Clar. virum, „ quia putat, ex integro negari haud posse, „ quosdam Theologos Catholicos limites infalli„ bilitatis multum ultra formales Christi doctrinas „ extendisse. " Quænam sunt isthæc humana Catholicorum Theologorum infallibilitatis Ecclesiæ additamenta? Tria horum Clar. Autor *à fol.* 146. recenset. 1mo. quando dicunt: „ Ecclesiam ob pro„ missam Spiritus S. assistentiam errare haud posse, „ si tales veritates declarat, *quæ tanquam essentiales* „ *proprietates*, *seu consequentiæ* cum formaliter à „ Christo revelata doctrina essentialem conne„ xionem habere dignoscuntur. " 2do. Ecclesiam quoque ob dictam Spiritus Sancti Assistentiam errare haud posse, quando declarat *verborum sensum totius alicujus contextus in libro cujusdam autoris contenti.* „ 3to Ecclesiam pariter ob pro„ missam spiritus S. assistentiam in errorem inci-

„ dere

„ dere haud posse, dum *præter* formaliter à Christo
„ revelatas Doctrinas, leges & consilia circa
„ doctrinam moralem tam juris Divini naturalis,
„ quam positivi solemnes decisiones ex proprii
„ intellectus rationibus emanat, de quibus Chri-
„ stus dominus se minime delaravit. „ Perpendamus hæc humana additamenta singula.

LXVII. Ut prætensam *humanam* formaliter revelatæ infallibilitatis Ecclesiæ *extensionem* à Catholicis Theologis obtrusam, & primo loco positam Clar. D. Stattlerus enervet, ita præoccupat. „ Memento, inquit, nullum Theologorum præ-
„ tendere, quod memorata extensio infallibilita-
„ tis *eodem modo certa sit*, aut omnino à Deo
„ formaliter revelata, sicut illa, quæ super uni-
„ versam formalem & verbalem Doctrinam Christi
„ versatur. Ecclesia enim, ait, illam *tantumodo*
„ *pro certa habet*, *& practice supponit*, cum actu
„ sæpius *similes consequentias*, quæ ex doctrina
„ formaliter revelata deducuntur, solemniter de-
„ claravit, &, ut easdem omnes tanquam cer-
„ tas suscipiant, mandavit, præcepitque. Taliter
„ (pergit laudatus Autor) exempli gratia declara-
„ vit, CHRISTUM *habere duas voluntates*, MA-
„ RIAM esse Dei Matrem, & CHRISTUM non
„ esse ex mera gratia filium Dei. „

Dole-

Dolemus, quod Clariff. Viro plures nævos inexcusabiles in hac sua à me fideliter relata deductione detegere cogamur: gaudemus, quod post Apostolos Beatissimam Virginem Dei genitricem, & hujus Filium possimus iterato defendere. Quid dicit Clariff. Dominus? In primis à veritate abludit, quod Ecclesia similes *consequentias*, de quibus loquitur, *qua tales* solemniter declaraverit: quod eas *simpliciter ut certas* declaraverit: quod eas declaraverit tanquam veritates inferioris classis, quam sint illæ, quas ipse *formaliter revelatas* dicit: quod tales consequentiæ, seu EXTENSIONES INFALLIBILITATIS sint hæc Dogmata fidei, *Christum habere DUAS voluntates: Beatissimam esse MATREM DEI, & Christum non esse FILIUM DEI ex mera gratia.* CONSEQUENTIÆ non debent confundi cum Decisionibus definitivis generalium Conciliorum & totius Ecclesiæ. Ingens sane Theologi & nobiliores Canonistæ discrimen notant *inter Conclusionem Theologicam*, qualis vocatur similis consequentia, quæ ex una revelata & altera naturaliter certa, aut ex duplici revelata propositione, tanquam ex præmissis eruitur, atque sylogistice infertur, & *inter definitivas decisiones* ab Ecclesia ex Verbo Dei tradito derivatas, factas, & fideli populo ad credendum propositas, quales

sunt,

ſunt, quod Chriſtus habeat *duas voluntates;* non ſit *ex mera gratia Filius* divini Patris, & quod Sanctiſſima Virgo MARIA ſit MATER DEI.

Audiamus cito aliquem ex celebrioribus Theologum Eruditionis fama clariſſimum Petrum Annatum, Congregat. Doct. Chriſt. Generalem Præpoſitum, qui duarum Concluſionum Tſteologicarum duo exempla profert. „ Omnis homo eſt „ liber, Chriſtus eſt homo,

„ Ergo Chriſtus eſt liber. “

„ Suppoſitum habens duas naturas, divinam unam „ humanam alteram, habet duas voluntates;

„ ſed Chriſtus eſt tale ſuppoſitum:

„ Ergo Chriſtus habet duas voluntates.

Ubi deinde de hac ipſa concluſione theologica decidit, eam de fide eſſe, &, qui eam negaret, eſſe hœreticum. „ Non autem ideo ait, „ hæc concluſio certa eſt certitudine fidei, *Chriſtus* „ *habet duas voluntates*, quia Concluſio theolo- „ gica eſt, ſed quia eſt aliunde in ſexta œcume- „ nica ſynodo per Eccleſiam definita, “ non utique aliter, quam ex Verbo Dei Scripto, vel Scripturam declarante Traditione, quæ absque dubio pro *formaliter*, &, vel maxime *verbaliter revelata à Chriſto Doctrina* habenda eſt, in contradictionem & diſparitatem *conſequentiæ qua talis*, ſeu *Concluſionis theologicæ*, quæ tantum *virtualiter*

ter revelata fuiſſe defenditur. Unde ſic loquitur, & *Lib. I. Art. IV. n.* 4. bene docet Clariſſ. Annatus: „ Sequitur, concluſionem Theologicam „ *qua talem*, quantumvis certam (in quantum *hu-* „ *mana certitudo* aſcendere poteſt) non eſſe tamen „ certam *certitudine fidei*, ſeu non eſſe tantæ cer- „ titudinis, quanta eſt propoſitio, quæ eſt de „ fide. Ratio eſt, quia propoſitio, quæ eſt de „ fide, eſt *formaliter & immediate* revelata, con- „ cluſio vero Theologica *qua talis* eſt *virtualiter* „ *tantum & mediate* revelata, ſeu ex revelatis „ per diſcurſum educta. Atqui propoſitio for- „ maliter & immediate revelata eſt certior, quam „ ea, quæ eſt mediate tantum & virtualiter „ revelata, cum Propoſitioni formaliter & im- „ mediate revelatæ *aſſentiamur propter immedia-* „ *tam revelationem*, quæ *infallibilis* eſt, Propoſi- „ tioni vero tantum virtualiter revelatæ aſſentia- „ mur propter virtualem revelationem, quæ in- „ voluit eſſentialiter diſcurſum, quo connexio con- „ cluſionis cognoſcitur cum prœmiſſis, qui diſ- „ curſus, *cum ſit humanus*, falli poteſt, conſe- „ quenter &c. "

LXVIII. Si hæc clar. Stattler ponderare voluiſſet, facile penetraſſet, quod DIVINÆ TRADITIONIS fuerit oblitus, quia putavit, quod Eccleſia hæc fidei dogmata, de Chriſto, & Beatiſſima

tissima Dei genitrice MARIA ex meris consequentiis, & Theologicis conclusionibus deduxerit, & fidelibus tenere mandarit; adeoque sint nudæ *humanæ formaliter revelatæ infallibilitatis Ecclesiæ extensiones*, neutiquam *ejusdem certitudinis* revellata inveniuntur. Sed fallitur immensum Stattlerus, quia memorata Dogmata ex Traditione Divino - Apostolica, ejusdem cum Verbo Scripto autoritatis, definita esse cognoscuntur, sintque cum iis, quæ in SS. litteris formaliter revelata inveniuntur, ejus omnino certitudinis. Sciat clarissimus Vir! Christum Dominum eadem certitudine fidei *Duas voluntates habere*, qua verum Deum & hominem credimus; eadem fidei certitudine Christus non ex mera gratia est *filius Dei*, qua certum est, quod natura humana subsistat subsistentia Verbi. Eadem Certitudine fidei Dei genitricem credimus, qua profitemur, quod Christum verum genuerit Deum. Quod autem hæc Dogmata ex VERBO DEI TRADITO definita fuerint, ipsus fatetur *fol.* 169. seqq. verbis: „Eo„ dem modo factum est Sectis Macedonii, Ne„ storii, Eutychetis & Monothelitarum, ex actis „ enim Conciliorum notescit, quomodo utrinque „ AD TRADITIONES prioris temporis appella„ tum fuerit.“ Sed nos ipsi volvamus (quia opere pretium est.)

Gener.

Gener. Conciliorum Acta huc spectantia.

Cum Nestorius suam hœresin, scilicet duas in Christo Naturas non hypostatice uniri, & consequenter in Domino nostro JESU Christo duas existere Personas, atque ideo Sanctissimam Virginem non θεοτόκον, *Dei genitricem*, sed χριστοτόκον *Christi genitricem* dicendam esse, publicare, spargere & propugnare pergeret, quidam Episcopus nomine *Dorotheus*, in illius haud dubie favorem, in plena concione, Nestorio in sua Cathedra sedente, dixit: *si quis dicit, Mariam Matrem Dei esse, anathema sit*, tum omnis populus cummulatim exclamare cœpit, & ex Ecclesia fugere, nolens cum illo communicare, qui contra Beatissimam Cœli Reginam talia eloqueretur. Quid enim hoc erat aliud, quam Traditionem Divino - Apostolicam invadere, omnes Ecclesias, omnes Episcopos tunc viventes, & MARIAM Dei genitricem in universo mundo docentes, & omnes Sanctos defunctos, qui idem crediderunt, contemnere? Merito igitur Hœresiarcha Nestorius suam hœresin contra totius Ecclesiæ Traditionem temerarie pugnantem revocare est jussus sub his formalibus, quæ S. Cœlestinus Papa ad Eum *Tom. I. Conc. Edit. reg. col.* 1307. scripsit: „ Aperte igitur

„ scias,

„ ſcias, hanc noſtram eſſe ſententiam, ut niſi
„ de Chriſto Deo noſtro ea prædices, *quæ Ro-*
„ *mana*, *Alexandrina & univerſalis Eccleſia Ca-*
„ *tholica tenet &c.* intra decimum diem ab uni-
„ verſalis Eccleſiæ communione te eſſe dejectum.
„ Quam formam Judicii noſtri ad Alexandræ Ur-
„ bis Antiſtitem deſtinavimus, ut agat vice noſtra,
„ quatenus ſtatutum noſtrum & tibi & univerſis
„ Fratribus innoteſcat. „ Quia non revocavit, ne-
que De chriſto, neque matre Ipſius aliter, quam
ſenſit, ſentire voluit actione XIII. Ipſe, & Ip-
ſius hæreticæ opiniones damnatæ, atque anathe-
mizatæ fuerunt, *Anathematiſmus l.* mox ita ſonat:
„ Si quis non confitetur Deum eſſe veraciter
„ Emanuel, *& propterea* Sanctam Virginem DEI
„ GENITRICEM; peperit enim ſecundum car-
„ nem ſanctum Dei Verbum, ſecundum quod ſcrip-
„ tum eſt, *Verbum caro factum eſt*; Anathema
„ ſit. „

Hæc in oriente agebantur, Poſtea vero in occidente eandem hæreſin introducere voluiſſe viſus eſt Felix Epiſcopus Urgellis requiſitus ab Elibando Epiſcopo Toletano, utrum Chriſtus *qua homo* dici debeat Filius Dei *naturalis*, vel *adoptivus?* qui reſpondit appellari debere adoptivum & ſic cum Neſtorio *Perſonas dividere* videbatur, at vero in cunis eliſus eſt hic error, præprimis ab

Epiſ-

Episcopis Patriæ nostræ in Concilio Frankofortensi congregatis, qui Felicianum errorem dicunt *hæresin veternosam illustrium virorum calcibus* (nimirum in conc. gener. Ephesino) *mirabiliter conculcatam, catholicaque falce olim jam funditus truncatam,* ut habetur in *Sacrosyl. pag.* 60. Pergamus ad Monothelitas, quia etiam ex horum historia videbimus, Catholicum fidei Dogma non intuitu Conclusionis theologicæ, aut consequentiæ ex doctrina formaliter revelata deductæ, sed præcise ope traditionis Divino - Apostolicæ stabilitum fuisse, & contrarium *è castris Domini* eliminatum.

LXIX. Contra Monothelitas celebratum fuit conc. gener. *Constantinopolitanum III.* an. 680. & *octodecim* actionibus conclusum. Decem earum synoptice referre liceat.

Actione 1ma., sessionibus occupatis, Macarius Patriarcha Antioch. *Monothelita* jussus est nomine Sectariorum suorum respondere, & mox ad quinque prima gener. concilia appellatum. Prælegunturr. Cumque ex actibus Conc. Ephesini S. Cyrilli Epistola, in qua de Christo ait: *est enim ejus omnipotens voluntas*, legeretur, statim intulit Macarius, *unam in Christo voluntatem esse*: sed statim etiam fuit convictus; ostenderunt enim Ei Legati S. Agathonis Papæ, præfatum Cyrilli locum tantum de *voluntate divina Christi* loqui.

Actione 2da., lecta ex Calcedonensis conc. actionibus S. Leonis I. Papæ Epistola *ad Flavianum* clare patuit, quod in Eadem duæ naturæ & duæ earundem Naturarum actiones prædicentur. Quare Actione 3tia ad quintam Synodum œcumenicam ventum est, ad cujus initium, cum commentitia quædam Mennæ C. P. Episcopi ad Vigilium Epistola legeretur, in qua dicebatur *unam in Christo voluntatem esse*, hanc suppositititiam esse, & Monothelitarum fraudibus actis insertam ex eo demonstrarunt præfati S. Pontificis Nuntii, quod sex annis ante quintam synodum sub Vigilio habitam Mennas ille præfatus ex hac vita migrasset. An ex istis actionibus non ad oculum patet, Patres non in consequentias sed in genuinam traditionem inquisivisse.

Actione 4ta. Legebantur S. Agathonis ad Imperatorem ablegatæ litteræ demonstrantes, Dogma Catholicum esse, *dari duplicem in Christo voluntatem*, in quibus ita continuat Papa *Tom. III. Edit. reg. col.* 1082. „ hæc est *fidei regula vera*, „ quam defendit spiritualis Mater apostolica Ec„ clesia, quæ per omnipotentis gratiam à TRA„ MITE APOSTOLICÆ TRADITIONIS nun„ quam erraſſe probabitur. “ Actione 5ta. Nitebatur Nectarius contraria Traditionis documenta afferre, protulitque duos codices. Sed, quid tantillum sit contra torrentem? nihilominus decretum

tum fuit, ut reliqua, si haberet, testimonia in proxime futura sessione proferret. Et certe Actione 6ta quædam eorum protulit Macarius, quæ cum perlecta essent, *truncata fuisse*, dixere Apostolicæ sedis Legati; idque, ut probarent, ex Urbis Patriarchio authenticos deferri codices petiere. Et è contrario actione 7ma. pro duplici afferenda in Christo voluntate varia protulere documenta præfati Legati, quibus perlectis rogatus Macarius & præter eum Gregorius P. C. *an ex iis essent convicti?* uterque cum codicibus Constantinopolitanis ea reciproce conferri petiit, & an latina Exemplaria cum Græcis consona sint, in præsentia plurium examinari.

Et re vera, actione 8va Gregorius C. P. aliique plures Episcopi, qui præfatorum exemplarium collationi interfuerunt, retulerunt, se loca Patrum à sedis epistolicæ legatis *pro duabus in Christo voluntatibus* allata, fideliter allegata cognovisse, eaque authenticis Patrum codicibus plane consona reperiisse, seque ea occasione motos cum sanctis Patribus sentire, & credere, desertaque Monothelitarum perfidia fidem orthodoxam profiteri. Vicissim actione 9na. Testimonia Macarii, quæ hucusque obsignata fuere, collatione publice facta, eorumqua depravatione palam manifestata, anathema dictum & lata in ipsum depositionis sententia, ejusque Dia-

conum perfidiæ ſocium atque diſcipulum. Denique poſt plura alia actione 18va Scripta fuit, & per legatos miſſa Synodica relatio petitaque confirmatio, dum præterea inſinuant, „ quod „ perlectis S. Pontificis litteris exortam multip- „ licis erroris ſectam depulerint: quod nefariam „ *hæreticorum* doctrinam quaſi obſidione orti ſint, „ & ipſos *circa fidem* lapſos, & peccatores in „ matutinis extra caſtra atriorum Dei anathema- „ tibus interfecerint, & id ex ſententia Papæ „ per ſacras litteras prius lata. "

LXX. TRADITIO ergo ab Eccleſia ſolicite cuſtodita effecit, ut *Illi*, qui de Chriſto & Beatiſſima Dei Matre contrariam doctrinam invehere, & veram obſcurare conabantur, pro *hæreticis* habiti ſint, eorumque Doctrina *hæretica* atque hoc (quod bene notandum) antequam publica deſuper ab Eccleſia definitiva ſententia prodiit. Similes enim ſolemnes deciſiones *nihil aliud enituntur* (ait Vincentius Lirenenſis) *quam, ut diligentius cuſtodiatur, quod jam antea credebatur.* Halucinantur ergo inſigniter, qui putant, non eſſe Fidei Dogma, quod non *qua tale jam actu* ab Eccleſia declaratum eſt. Certe, Ariani & Arius jam erant hæretici, antequam à Conc. gener. Niceno I. confixi & anathematizati ſunt: Sic Macedoniani jam erant hæretici, Neceſſorius, Eutyches

tyches hæretici erant, eorumque Doctrinæ hæreticæ, contra primævam Apostolorum Traditionem puguantes, antequam á Concilio Constantinop. I. Ephesino & Calcedonensi Damnationis sententia in eas & illos fulminata fuisset. Pariter Berengarius, quam primum Sanctissimam & divinam Traditionem *de reali, & Corporali præsentia Corporis & Sanguinis* Domini nostri JESU Christi in Eucharistia impugnavit, hæreticam sententiam protulit, verus hæreticus proprio judicio condemnatus, quia ab Ecclesiæ Catholicæ unanimi & publica, eoque ipso certa ac infallibili Doctrina recessit. Sic loquere de omnibus subsequentibus, qui contra Ecclesiæ moraliter universæ cum suo capite conjunctæ communem sententiam in materia fidei aperte insurgunt, virusque suum undique & quaquaversum diffundunt, suo errori pertinaciter insistunt, non curantes, utrum unitatis Ecclesiæ vinculum rumpant; imo in hunc finem discipulos faciunt, ut Altare contra altare erigere valeant, & Ecclesiam in suo capite & corpore affligere: *Non enim ille Tantumodo hæreticus est, qui actu, & solemni ritu ab Ecclesia qua talis damnatus est, sed etiam is qui talia docet, quæ bene scit fore damnanda, quam primum continget celebrari generale concilium.* Hæc dixit, & scripsit quidam Episcopus toti germaniæ notus.

Quod autem Ecclesia atque SS. Pontifices non semper huic, vel illi Propositioni hæreseos notam adscribant, hunc vel illum expresso nomine intra hæreticorum classem existere, pronuntient, causa est, quia *non semper explorata* contra Religionis dogma *oppositio* invenitur: atque, si alicubi hi homines obscurius sunt locuti, in alio loco videntur fidei veritatem amplecti: ubi æquitas postulat, ut minus aperta, per evidentiora ipsorum testimonia explicentur. Non nunquam suas perversas opiniones & sententias ita intricate sciunt inflectere, ut, quod primo defenderunt, in fine finali, pallio obtegant, ab eo resilire, & revocare videantur. Pari passu Clar. Justin. Febronius per totum Librum suum Papæ *Primatum Juridictionis* disputabilem reddidit, & CLAVES non S. Petro & Successoribus Ejus, sed toti Ecclesiæ *immediate* traditas fuisse prætendit, docens: *penes Ecclesiam radicaliter potestatem residere; & penes eam stare, per quem primum, per quos alia officia ecclesiastica exerceri velit*, quibus tamen non obstantibus gloriabatur, quod non fuerit habitus *pro hæretico*. Ast vero, etiam cum ipso indulgentius agere oportuit, quia in fine Libri sui *ea quæ* (ut CLEMENS XIII. in suo Brevi apostolico ad Archiepiscopos & Episcopos germaniæ a. 1764. emanato dixit) *ex hæreticorum & Sedi Romanæ*

in-

insensissimorum libris deprompta in unum congessit, quasi uno ictu prostravit; libere dicens. „ Se „ approbare, quod neque Ecclesia, neque gene- „ rale Concilium possit tollere PLENITUDINEM „ POTESTATIS PAPALIS á CHRISTO super- „ naturaliter& misericorditer, collatam ;„ alias de utique in sua contra ipsum stationemansisset,quod de similibus S. FranciscusSalesius *Disc. XXXII de Eccl.* „ expressit; „ HÆRETICORUM MINISTRI om- „ nem lapidem movent,ut quantũ possint,inquinant „ fontem S. Evangelii, ne Petrus ibi claves repe- „ riat: nihilque intendatum relinquunt, *utnos aver- „ tant ab obedientia, quæ debetur Vicario Christi.* „ Quid autem fecerunt? Dixerunt: S. Petro pro- „ missionem factam fuisse nomine totius Ecclesiæ, „ sic, ut *nullum peculiare privilegium* concessum fue- „ rit ipsius Personæ. Si igitur hoc interpretandi „ modo non pervertatur Scriptura, nũnquam ab „ aliquo *in alienum sensum* detorquebitur. Nonne „ enim Petro locutus est Dominus? & quomodo „ clarius suam mentem exprimere poterat, quam „ his verbis: *& Ego dabo TIBI claves*: cum enim „ immediate antea locutus fuisset de Ecclesia, „ dum ait: *Portæ Inferi non prævalebunt adversus „ EAM*, quidnam obstat, quo minus adjunxisset, „ & dabo ILLI claves Regni cœlorum, si illas „ *immediate* dare voluisset Ecclesiæ? „ Sic quoque

Concil. gener. Florentinum ad normam omnium SS. Patrum, & priorum generalium Conciliorum, & Traditionis divino Apostolicæ verborum Domini sensum exposuit, sic dogmatizans: „ Definimus S. Apostolicam sedem, & Rom: Pontificem in totum orbem tenere Primatum, & „ Ipsi in B. Petro *pascendi*, *regendi ac gubernandi* „ universalem Ecclesiam à *Dom. nostro JESU* „ *Christo PLENAM POTESTATEM* traditam „ fuisse &c. "

Brevis huc spectans Observatio.

LXXI. Oro! jam atque obtestor! ad quid opus fuit Clar. Stattlero, ut anxie probet: „ Nihilominus CERTUM ESSE, Christum *duas voluntates* habere, & Beatissimam esse *Matrem Dei* „ si enim (ait) Ecclesia in hujusmodi rebus *falsa* „ doceret, tunc fidelis populus, qui jam ex sana „ ratione coherentiam & connexionem hujusmodi conclusionis cum Doctrina principali, & „ formaliter revelata inspicit, certo certius „ difidentiam concipere deberet erga primariam & formaliter revelatum infallibilitatem „ Ecclesiæ. " Hæc est non petita probatio, sed tantum ad distrahendum Lectorem minus attentum, aut doctum excogitata. Probare enim potius debuisset, quod juxta suum systema hæ proposi-

positiones, *Christus habet duas voluntates*, Beatissima est *Mater Dei* non sint *æque certæ*, quam illæ formaliter revelatæ, licet *earum sensum* ECCLESIA ex legitima, Divino-Apostolica traditione solemniter declaraverit. Probatio illa Stattleriana profluit ex falsissimo supposito, ac si *illæ Res*, ut ipse loquitur, quas Ecclesia etiam in conciliis generalibus definitive concludit, statuit, atque fidelibus ad credendum proponit, nihil aliud sint, quam *humanæ Theologorum Catholicorum* formaliter revelatæ Infallibilitatis *extensiones*, re ipsa consistentes in consequentiis & theologicis conclusionibus, cum tamen evidentissime demonstratum, quod *eædem res*, exempli gratia, Christum habere duas voluntates, ac S. MARIAM Virginem esse *vere Matrem Dei* non nisi ex Traditione Divino-Apostolica sententialiter sub interminatione Anathematis in Conciliis generalibus fuerint stabilitæ, ac proinde ad Dogmata formaliter revelata, & divina fide credenda pertineant.

Quo loco sedulo observare oportet, quod in eodem Clar. D. Stattlerus Juristam agere incipiat, Nam mox recensitæ suæ Probationi addit sequentia: „ Cum summatim Principum grætiæ „ præsertim pro bono publico concessæ *extensionem* „ *potius*, quam restrictionem omni jure exposcant, sic Ecclesia in similibus casibus *conjecturat*,

„ *seu*

„ *seu præsumit* (so vermuthet die Kirche) quid si-
„ mile sibi in concesso à suo sponso infallibilitatis
„ privilegio, quia alias infallibilitatis donum à
„ saluteri sua operatione impediri posset. “ Hic
sane Clariff. Autor oblitus est, se cum Protestanti-
bus agere, quos ad unionem invitat & persuadere
conatur; alias enim non confugisset ad *conjecturas*
& Præsumptiones, quas illi certo certius exsibi-
labunt, & hanc *prætensam certitudinem* cum ipsa-
met formali infallibilitate explodent. De Princi-
pis terreni voluntate *legaliter jam certa* utique li-
cet *præsumere*. Cedere autem sede jubentur PRÆ-
SUMPTIONES ET CONJECTURÆ, quando de
principali privilegio Infallibilitatis à Deo Ecclesiæ
concesso sermo procedit, & de quacunque alia
fidei materia. Clar. Stattlerus, si suis *conjecturis*
& præsumptionibus insistit, justissima eodem sen-
tentia multabitur, quam in Exim. D. P. Bedam
pronuntiavit, dum dixit; „ ECCLESIA PO-
„ TEST ERRARE, AUT JAM FORS ACTU
„ ERRAVIT. “

LXXII. Plura observanda forent. Sed exa-
minemus alterum *humanum* revelatæ infallibilitatis
Ecclesiæ *additamentum*, quod in eo consistit.
„ Ecclesiam ob dictam Spiritus S. Assistentiam
„ errare haud posse, quando *verborum sensum to-*
„ *tius alicujus contextus* in libro cujusdam Autoris
„ con-

„ contenti declarat, *utrum cum revelatis fidei Doc-*
„ *trinis conveniat, vel disconveniat.* „ His verbis
„ Clariss. Stattlerus addit: „ *Etiam hæc proposi-*
„ *tio tantum pro certa & non amplius pro revelata*
„ habetur, & quidem ex eodem fundamento &
„ probatione, sicut prior. „ Eximius Dominus iterato frustraneo labore consumitur, ut probet *hanc Ecclesiæ declarationem certam* esse, quia probare deberet, eam non esse irrefragabile Ecclesiæ Dogma fundatum in inconcusso à Christo concesso infallibilitatis dono.

Quia enim certum est, quod de sensu S. Scripturæ infallibiliter judicare ad Ecclesiam spectet, &, quænam inter diversas Traditiones genuina, & Divino-Apostolica sit, definitive concludere, hoc ipso debet etiam SS. Patrum & Doctorum Ecclesia de sensu SS. Litterarum sua sensa proferentium, & verborum sensum, sicuti etiam eorum, qui in toto aliquo verborum contextu contrarium docent, intelligere, quia alias inanis labor foret, inter utramque partem judicium ferre, &, qui facta decisione, Ecclesiam non audiret, *pro* Ethnico & Publicano habere. Ad ultimam Tulin, ac ultra Utiopiæ Terminos cum istis fidelium mentes perturbantibus, nuper introductis novitatibus!

LXXIII.

LXXIII. Si Ecclesiæ in discernendis verborum in toto suo complexu sumptorum, seu in decidenda, atque approbanda vel reprobanda naturali & obvia librorum quorumcumque ad Religionem spectantium significatione non foret infallibilis autoritas, nullus esset Novator (quod optant) nullus hæreticus (quod volunt) qui posset de prævaricatione & hæresi convinci, &, ut hæreticus definitive, sed tantum conjecturaliter & ex præsumptione damnari: quique non posset (quantumvis ab Ecclesia damnatus) reclamare', & dicere, se hæreticum non esse, se hæretice non sentire, sed ad scripturæ normam. Imo, Hæretici omnes, quot quot olim fuere per Ecclesiam damnati, idem dicere possent adhuc hodie & reclamare, si è cineribus suis resurgerent.

Ex hoc fundamento Arii, & arianorum formulæ & scripta *tanquam contra Verbum Dei Scriptum & Traditum pugnantia* damnata, & eorum autores & adhærentes eademque pertinaciter tenentes *tanquam Hæretici* anathematis fulmine percussi fuere: Eodem modo, atque ob eandem causam Apollinaristæ, Macedoniani, Nestoriani, Eutychiani & Monothelitæ extra castra dominica, id est, extra Ecclesiam Catholicam ejiciebantur. Audiamus quinti gener. & æcumenici Concilii canonis XI. verba: „ Si quis non anathematizat

„ Arium,

„ Arium, Eunomium, Apollinarem, Neſtorium,
„ Eutychetem, Originem *cum impiis eorum Scrip-*
„ *tis*, & alios omnes hæreticos, qui condemna-
„ ti, & anathematizati ſunt à ſancta Catholica
„ Eccleſia, & à prædictis quatuor Conciliis &c.
„ talis anathema ſit. “ Revera, non ita locuti fuiſſent Patres noſtri, nec non in - & extra generalia Concilia exiſtentes SS. Pontifices & alii Eccleſiæ Paſtores, niſi id *viſum fuiſſet ſpiritui Sancto, qui eos* docuit, atque usque ad conſummationem ſæculi *docebit omnem veritatem.*

Interim, ne Janſeniſtarum in morem in omnes ſeſe vertentium partes Adverſariis latebræ pateant, ſciendum, quod in hujusmodi verborum, integrarum propoſitionum, ſcriptorum ac librorum condemnatione non attendatur *Cauſa*, quare ſcripti ſint, quem *ſenſum perſonalem* autor habuerit, aut *interne* aluerit, ſed præciſe ad ſenſum obvium, vulgarem & grammaticalem, qui in omnium oculos & aures incurrit, v. g. *Chriſtus tantum unam habet voluntatem*, aut, Beatiſſima Virgo eſt *tantum Mater Chriſti*, neutiquam vero *Mater Dei* eſt dicenda, tunc utique, quando vox populi, vox Dei talia audiendo conclamat, & Prædicantem hæreſeos verum poſtulat, quare hoc fieri non poſſit, imo non debeat ab iis, *quos Spiritus* Sanctus poſuit *Epiſcopos regere Eccleſiam Dei*, &, qui eos audit, audit Chriſtum?

LXXIV.

LXXIV. Tertium *humanum* revelatæ infallibilitatis Ecclesiæ additamentum deberet esse, „ quod Ecclesia non possit incidere in errorem, „ dum *præter* formaliter revelatas à Christo doc- „ trinas, leges & Consilia circa Doctrinam mo- „ ralem tam juris divini naturalis, quam positivi „ solemnes decisiones *ex proprii intellectus rationi-* „ *bus* sancit, de quibus Christus Dom. se minime „ declaravit. „ Nolumus nos in hoc discursu diutius detinere, quia suppositum jam iterum ingenti morbo, ac vitio laborat, quasi vero *Theologia Catholica* (quibus terminis Clariss. D. Stattler usus est) *doceat*, quod assistentia Spiritus S. promissa sit, aut infallibilitas Ecclesiæ promissa extendi possit ad ea, quæ Eadem *ex proprii intellectus rationibus* decidit. Nam Ecclesiæ Pastores & SS. Pontifices præter intensas proprias humanas vires non ad intellectus rationes attendant necesse est, sed ad Verbum Dei scriptum, & traditum. Et hoc marte jam plures ab antiquis Philosophis, atque etiam à diversis Speudo-Theologis propugnatas opiniones Christianæ Religioni, imo ipsismet divinis attributis contrarias, confixas, merito proscriptas & damnatas accepimus.

Cœterum, hæc & similia Clar. D. Stattler in gratiam & favorem proferre debuit suæ sententiæ, qua inculcatum cupit, „ Ecclesiam tantum *de Doc-*

ttinis

„ *trinis à Christo formaliter & verbaliter revelatis*
„ vi concessæ sibi infallibilitatis posse definitive &
„ infallibiliter decidere, cum *totali abstractione*
„ *eorum*, quæ spiritus Sanctus Apostolos post As-
„ censionem docuit & revelavit, „ Unde *Parte II. fol.* 147. ubi Christus Eisdem Joannis XVI. 12. dixit: „ *Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non*
„ *potestis portare modo. Cum autem Venerit ille*
„ *Spiritus veritatis, docebit vos OMNEM verita-*
„ *tem*, dicta tali glossa persequitur. „ Debet quidem fateri, ultima verba non in latissimo sensu accipienda esse, ac si Apostoli *omniscii* à Spiritu Sancto facti fuissent. Neutiquam: de hoc nemo cogitat. Sufficiebat ad intentum Christi, quo ipsis donum infallibilitatis promisit, quod errare non potuerint in iis, quæ ad substantiam *Christianæ-Catholicæ Religionis*, seu, quod idem est, *ad materiam fidei & morum* quomodocunque pertinere cognoscitur. Sed pergit Clarissimus: „ Hic tex-
„ tus debet referri ad eum, quo CHRISTUS jam
„ antea Joannis XIV. 26. pronuntiavit, quod Spi-
„ ritus Sanctus omnia eos docturus sit, quæ IPSE
„ illis jam antea docuerat. „ Hoc Christus pronuntiaverat, verum est, sed etiam, Joannis XV. 13. dixit: *se aperuisse illis omnia, quæ Ipse ex Patre didicerat.* Interim attendere Clar. Viro placeat, quomodo hunc locum ad mentem S. Augustini, V.

Bedæ,

Bedæ, Ruperti, Joannis Chryſoſtomi, Theodoreti, Utriusque Cyrilli, Alexandrini & Jeroſolymitati, Euthymii & aliorum apud Illuſtriſſimum Auguſtinum CALMET in hoc ipſum *Joannis caput XVI.* 12. intelligere debeamus. „ Omnino „ hoc dixerat Chriſtus, at ſuperior ſententia cir„ cumſcriptius uſurpanda eſt, hæc explicanda. „ Aperuit quidem Chriſtus Apoſtolis, quid quid „ ipſe ex Patre didicit, *quid quid illos noſſe opor„ tebat*, quid quid illi aſſequi poterant: At „ MULTA ADHUC SUPERERANT, quibus „ illi pares non erant. " Nam, ut de moralibus nihil dicamus: audierunt quidem Apoſtoli ſæpius, Chriſtum ſe *filium hominis* nominaſſe, & quod Petrum laudaverit, quando nomine omnium exclamavit: *Tu eſt Chriſtus Filius Dei vivi!* Et tamen, ne hoc quidem á Chriſto formaliter, ſeu verbaliter Petrus audiverat, ſed PATER, qui in cœlis eſt, id Petro revelaverat:

LXXV. Audiamus Totam S. Joannis *Capite XVI.* textuum, ac Verborum cohærentiam, & pulcherrinam laudati Calmet animadverſionem, ex qua patebit, quod ea quoque, quæ Chriſtus formaliter & verbaliter non docuit, *in Patre* tamen, & *ſpiritu ſancto* docuiſſe credatur. Verba Chriſti profunde adoranda ſic expreſſa inveniuntur: „ ſpiritus veritatis docebit vos omnem veritatem,

„ non

„ non enim loquitur à ſemetipſo: ſed quæcum-
„ que audiet, loquetur, &, quæ ventura ſunt,
„ annuntiabit vobis. Ita eſt, *non loquetur à ſemet*
„ *ipſo* (ait denuo Auguſt. Calmet ex ore Patrum,
„ qui citati apud Maldonatum inveniuntur) ne
„ Apoſtoli ex proxime dictis, futurum ſcilicet,
„ *ut ſpiritus Sanctus veritatem omnem ipſos doceret,*
„ colligerent, ſpiritum S. filio eſſe majorem,
„ aut aliud eſſe cognoſcendi & intelligendi prin-
„ cipium *à Patre*, *Filioque diſtinctum*, addit
„ Chriſtus: *Spiritum S. nihil ex ſe loculurum*,
„ hauſturumque dicenda eodem ex fonte, ex quo
„ hauſit Filius; denique quid ipſe dicturus ſit,
„ dicturus una Patrem & Filium: neque triplex,
„ ſed unicum Principium illos allocuturum. "
Poſt hæc, ne quis putet Apoſtolos *ſingilatim* in-
fallibiles non fuiſſe, ſequitur: *quæ ventura ſunt*
annuntiabit vobis, ubi ad ſcopum ſic belle Illuſtriſſ.
Calmet: „ Spiritus S. *nedum explanabit ea*, quæ
„ Ego (Magiſter veſter) vobis obſcure tradidi,
„ DETEGETQUE MYSTERIA, quibus non
„ eſtis pares, verum etiam futura denudabit,
„ *vosque inſtruet uberrime ſcientia*, qua vobis opus
„ fuerit, UT MYSTERII VESTRI MUNUS
„ EXPLEATIS. "

Quibus ea prævenit Doctissimus Calmet, quæ Clariss. Dom. Stattlerus, Cicero pro domo sua peroravit. „ Etenim, ait, in proprio sensu dici „ potest, *aliquem docere veritatem*, quando alicui „ ejusdem veritatis clariores de connexis cum ea „ proprietatibus & consequentiis conceptus dete- „ guntur. Quemadmodum igitur Spiritus Sanctus *tale quid sine nova revelatione*, sed solum *me- „ diante Intellectuum Illorum illuminatione*, qua jam „ perceptas ab ipsomet Christo, sed adhucdum ob- „ scuras doctrinas clarificavit, docere Apostolos „ potuit, ita spiritus S. id ipsum nunc quoque „ poterit in Apostolorum Successoribus.

LXXVI. Incassum hæc omnia. Si enim hoc verbum REVELATIO Scrupulum moveat, clar. Stattler non dedignabitur recolligere jam semel adducta S. Augustini verba, quæ pro Apostolis & Apostolorum Successoribus decidunt. „ Nemo „ mihi dicat (sunt verba Doctoris Ecclesiæ) „ quia neque Catholicis Episcopis consentiendum „ est: sicuti forte falluntur, ut contra canonicas „ Dei scripturas aliquid sentiant. Sed, si custodito „ unitatis & Claritatis vinculo in id incidunt, „ fiet Eis, quod Apostolus *ad Philippenses III. 16.* „ ait, *&, si quid aliter sapitis, hoc quoque Deus „ REVELABIT.* “ Nullum ergo subsidium, nullum effugium. S. Scriptura, SS. Patres, SS. Ponti-

Pontifices, generalia Concilia nihil ſciunt de *præſumptiva illa, & conjecturali infallibilitate.* Novus hic partus eſt Eccleſiæ imputatus; nova ad injuriam ſponſæ Chriſti inferendam inventio: ad rumpendos, quos Patres poſuere limites, atque ad exſiceandos Catholicæ Theologiæ fontes excogitatus, ut ad ciſternas, quæ continere non valent aquas, Juvenes, Novitatum Amatores veniant, & dum ſic ſitim reſtringere haud poſſunt, plenitus areſcant.

Dictorum Recapitulatio.

LXXVII. quia Clariſſimi Viri, tam D. P. Beda Mayr, quam doctiſſimus D. Benedictus Stattler *Fidem divinam* ut diſtinctam *à fide eccleſiaſtica* non tantum perplexe & obſcure, ſed etiam male explicant, non abs re erit, ex prioribus quædam repetere.

Poſt PATREM Omnipotentem, JESUM Chriſtum, Filium ejus, unicum Dominum noſtrum, natum ex Maria Virgine, & SPIRITUM SANCTUM, credimus ECCLESIAM CATHOLICAM, quæ in Chriſto, & ab Eo per Apoſtolos *miraculis fundata* & motivis ſupernaturalibus credibilitatis ita ſtabilita fuit, ut in Salvatore, & per Apoſtolos Deum loquentem omnes gentes, Nationes & populi totius habitabilis orbis toto

corde crediderint, & tam *dictis*, quam *scriptis* Eorum victas manus præbere non dubitaverint. Et quidem ea omnia, quæ expresse & clare in Verbo Dei continentur, *fide divina credi* recte a Theologis perhibentur. Quia vero amantissimus Salvator bene præviderat, quod maligni Novatores rebellium Judæorum instar libro arbitrio, aliisque talentis abusi, & instigante mortalium inimico Diabolo contra varia Fidei Dogmata, quæ non adeo clare & expresse in SS. litteris inveniuntur, lites & bella sacrillego ausu moturi sint, Judicem infallibilem constituit, & ad Petrum dixit: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ECCLESIAM MEAM, & portæ inferi non prævalebunt adversus EAM.* Huic promisso (ÆDIFICABO) Christus satisfecit, dum Ecclesiam post se supra Petrum ædificavit, item & illi: portæ inferi NON PRÆVALEBUNT, cum Eidem Ecclesiæ suæ donum infallibilitatis concessit, ita, ut Ea sit Novi Testamenti arca, in qua Veritas Verbi divini recondita est, ut, si quis seu Verbum Dei scriptum seu traditum negare, adulterare, pervertere auderent, tales per suos Pastores, seu Episcopos sacro unionis nexu cum Petro, Ejusque Successoribus conjunctos, & communione gaudentes judicare, absolute ac infallibiliter decidere, ac refractarios, si

falces

fasces inclinare noluerint, foras expellere valeat & anathematizare.

Hæc vero, quæ per definitionem hujusmodi infallibilem Ecclesiæ deciduntur, eo ipso, quia Decisio ab Ecclesia facta est *fide ecclesiastica credi* non abs jure dici possunt, non utique, quasi *divino testimonio* destituantur, aut non ex eodem motivo, quo ceduntur illa, quibus *fide divina* assensus præstari dicitur, sed, quia Deus voluit, ut superborum schismaticorum & hæreticorum colla humilientur, & autoritati Ecclesiæ definientis se se compellantur subiicere.

Sicut igitur de prioribus *fide divina credendis*, & clare in Verbo Dei revelatis Mysteriis, v. g. Christus passus est pro nobis, Crucifixus, mortuus, & resurexit &c. dicitur: HÆC DICIT DOMIMUS sine additamento, ita de posterioribus, ubi Ecclesiæ autoritas concurrit, adeoque *fide ecclesiastica* credi perhibentur, apte scribitur VISUM EST SPIRITUI SANCTO ET NOBIS *Act. XV.*

LXXVIII. Singulari cum laude referre debemus, quæ jam supra laudatus Illustriss. Calmet *in hunc locum* commemorat- „ *Visum est Spiritui* „ *Sancto & nobis.* Sententia est *non humano ju-* „ *dicio*, sed ab ipsomet Spiritu Sancto pronun- „ tiata: debita ergo à vobis reverentia excipi-

„ enda eſt. Cætui noſtro Divinus idem ſpiritus
„ præſedit juxta oppignoratam nobis fidem à JESU
„ Chriſto *Matth. XXVIII.* 20. miſſum iri à ſe
„ ſpiritum Sanctum nos omnia docturum. *Joan-*
„ *nis XIV.* 16. ſe denique adſuturum cætibus
„ nomine ſuo coactis. *Matthæi XVIII.* 20. “
Et iſtud conformiter iis, quæ ſupra diximus, intelligi debet, nempe quoad ipſam definitivam Eccleſiæ ſententiam, non vero definitionem antecedentia, brevias tractationes, aliaque in ſynodis inter loquendum & diſputandum á Patribus præmiſſa, quia, dum Eccleſia aliquid decidit, aut deciſiſſe declarat, non ſe fundat in argumentatione ſcientifica, ut Philoſophi naturales ſolent, ſed in infallibili ſpiritus Sancti aſſiſtentia & Inſpiratione, quare concludit Calmet *loc. cit.* „ Satis eſt enim Spiritum Sanctum adeſſe,
„ regere, dirigere Conciliorum Patres, & ne
„ quid erroris in eorum ſententiis irrepat, vi-
„ gilare. “

Paſſus quartus ad Unionem de S. Scriptura.

LXXIX. Diutius, quam conſtituimus, nos detinuit Clar. Stattlerus in perluſtranda abſtruſa, & inaudita ſua opinione. Pergamus ulterius, & quid,

quid, ut Protestantes ad unionem aliciat, *de Canone SS. Librorum* Ipsis cedere, & concedere proposuit, rimemus. „ Intuitu *Librorum Deutro-*
„ *nomicorum Veteris Testamenti* (inquit *fol.* 273.
„ *Part. III.*) cedendum & concedendum est
„ Protestantibus aliquid, dumodo juxta Testimo-
„ nium Ecclesiæ *in tantum infallibilis* admittant
„ fundatam securitatem, *quod in istis Libris non*
„ *nisi Doctrinæ cum revelatis consentientes contine-*
„ *antur.* Canonem Novi Testamenti, quod atti-
„ net, aliunde Protestantes cum Catholicis hodie
„ conveniunt. " De iisdem Deutronomicis jam antea *fol.* 241. *loc. cit.* dixit: „ Cum hi Libri in
„ Canone Librorum Judæorum positi non sint,
„ sibi non videri, quo ex fundamento Ecclesia
„ talem plenipotentiam acceperit, istis libris ma-
„ jorem autoritatem tribuendi, quam antea in
„ antiqua Lege non habuerunt. Interim (pergit
„ consequenter) cum nullam solemnem declara-
„ tionem Ecclesiæ habeamus, *in quo gradu*, aut
„ *in qua specie* (auf was für eine Art) QUILIBET
„ SS. litterarum Liber divinam autoritatem pos-
„ sideat, nullus error committitur, si Protestan-
„ tibus permittamus, ut ex propria jam facta
„ confessione, divinam HORUM librorum præ-
„ cellentiam *tanquam sequelam* aspiciant, quod
„ contentæ in iis Religionis Doctrinæ cum apo-

„ ſtolica Novæ Legis à Chriſto fundatæ traditione „ conveniant. “ Ut fucum faciat ad Conc. Tridentinum fugit, & ex titulo colorato *fol.* 244. formam ſuæ opinionis ita adumbrat.

„ ECCLESIA in Concilio Tridentino nihil „ decidit, niſi 1) quod omnes ſeptuaginta duo „ Libri perantiqui Catholicorum Canonis *aliquam* „ *ſpeciem divinæ autoritatis* habeant. 2) Quod in „ iis, ſicut & in Traditionibus, quas Apoſtoli „ ex Chriſti ore hauſerunt, omnes ſalutares fidei „ & morum Doctrinæ contineantur. 3) Quod „ omnibus libris iſtis uti propoſuerit ad probandas „ fidei & morum doctrinas. “

LXXX. Neſcimus, qua confidentia Clar. D. Stattlerus, ad S. Concilium Tridentinum ſe referens, in facie Eccleſiæ, propria autoritate, & quaſi ex Trypote decidere potuerit: „certum eſſe, „ quod nullus error committatur, ſi Proteſtanti- „ bus permittatur, divinam horum Librorum „ deutro - canonicorum Veteris Teſtamenti auto- „ ritatem *tanquam ſequelam* inde venire, quia con- „ tentæ in iis Doctrinæ Religionis cum Apoſto- „ lica traditione conveniunt. “ At vero, hic eſt viri Clariſſimi,

PRIMUS ERROR in hac materia, *Eccleſiam teſtari*, quod in iſtis Libris non niſi Doctrinæ cum Doctrinis revelatis conſentientes contineantur.

Sunt

Sunt enim ipſi hi Libri VERBUM DOMINI in ſe, & ſua cauſa, licet ante Chriſti adventum *ob defectum certæ Prophetarum ſucceſſionis* pro talibus nondum ſint declarati. Chriſtus omnibus Prophetis prævalet, & Apoſtolica traditio veluti Lux Synagogæ umbram eliminat.

SECUNDUS ERROR, quod Teſtimonium Eccleſiæ ſolumodo *in tantum* infallibile ſit, in quantum teſtari poteſt de Librorum iſtorum *ſecuritate*, quod nihil contra Doctrinas aliunde jam revelatas contineat. Debile reſpective Teſtimonium, ſi non ſimul fidelem populum ſecurum reddat, quod prædicti Libri VERBUM DEI contineant, & SINT.

TERTIUS ERROR, quod ſupponat Eccleſiæ infallibilitatem in determinando Sacrorum Librorum Canone à Synagoga Judæorum dependere. Hunc errorem jam ſupra debite excuſſimus.

QUARTUS ERROR, quod dicatur, nullam haberi ſolemnem Eccleſiæ declarationem, in quo gradu, aut in qua ſpecie *quilibet SS. litterarum Liber* divinam autoritatem habeat. Quaſi vero inter Libros in Canone contentos atque DIVINOS Certæ dentur, aut dari poſſint *graduum aut ſpecierum* differentiæ, cum in S. Conc. Tridentini *Decreto de Libris Canonicis* omnes Libri tam antiqui, quam novi Teſtamenti, tam proto - quam deutro-

deutrocanonici *æquali omnino Divinitatis gradu* sub his expressis formalibus velut tot corruscantibus gemmis collucentes intueamur, dum dicit: *Cum utriusque Testamenti autor sit Deus*, & postea, sine omni hujusmodi gradus, aut speciei distinctione Libros tam veteris, quam novæ Legis recenset. Multo major est ergo

QUINTUS ERROR, quando prætenditur, decisum fuisse à Concilio Tridentino, quod Libri Catholicorum Canonici omnes *aliquam speciem divinæ autoritatis* habeant. Qualem habent speciem? ubinam ubi de hujusmodi specie in Sacro Concilio vel verbum occurrit? Omittimus alia Clar. Stattleri absona, & ante Eruditorum oculos ponimus in extenso laudatissimi Concilii ex Sessione IV. die VIII. Mensis Aprilis MDXLVI. habita.

Decretum de Canonicis Scripturis.

„ Sacrosancta œcumenica & generalis Tridentina Synodus, in spiritu Sancto legitime congregata, præsidentibus in ea eisdem tribus Apostolicæ Sedis Legatis hoc sibi perpetuo ante oculos proponens, ut sublatis erroribus, puritas ipsa Evangelii in Ecclesia conservetur: quod promissum ante per Prophetas in scripturis Sanctis Dom. noster JESUS Christus, Dei filius, proprio ore

primum

primum promulgavit. Deinde per ſuos Apoſtolos tanquam fontem omnis & ſalutaris veritatis, & morum diſciplinæ, omni creaturæ prædicari juſſit: perſpiciensque hanc veritatem & diſciplinam contineri *in Libris ſcriptis*, & ſine ſcripto *Traditionibus*, quæ ipſius Chriſti ore ab apoſtolis accepta, AUT ab ipſis Apoſtolis SPIRITU SANCTO DICTANTE, quaſi per manus tradita, ad nos uſque pervenerunt: Orthodoxorum Patrum exempla ſecuta, omnes Libros tam Veteris, quam novi teſtamenti, CUM UTRIUSQUE UNUS DEUS SIT AUTOR: nec non traditiones ipſas, tum ad fidem, tum ad mores pertinentes, tanquam VEL oretenus à Chriſto, VEL à Spiritu Sancto dictatas, & continua ſucceſſione in Eccleſia catholica conſervatas, pari pietatis affectu ac reverentia ſuſcipit & veneratur.

Sacrorum vero Librorum Jndicem huic Decreto adſcribendum cenſuit, ne cui dubitatio ſuboriri poſſit, *quinam ſint, ab Ipſa Synodo ſuſcipiuntur*, ſunt vero infra ſcripti.

Teſtamenti veteris, quinque Moyſis, id eſt, geneſis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deutronomium, Joſue, Judicum, Ruth, quatuor Regum, duo Paralipomenon, Eſdræ Primus & ſecundus, qui dicitur Neemias, Tobias, Judith, Heſter, Job, Pſalterium Davidicum centum quinquaginta

Pſal-

Pſalmorum, Parabolæ, Eccleſiaſtes, Canticum canticorum, Sapientia, Eccleſiaſticus, Iſaias, Hieremias cum Baruch, Ezechiel, Daniel, Duodecim Prophetæ minores, id eſt, Oſea, Joel, Amos, Abdias, Jonas, Micheas, Naum, Abacuch, Sophonias, Aggæus, Zacharias, Malachias, duo Machabæorum, primus & Secundus. Teſtamenti novi quatuor Evangelia, ſecundum Matthæum, Marcum, Lucam & Joannem. Actus Apoſtolorum à Luca Evangeliſta conſcripti. Quatuordecim Epiſtolæ Pauli Apoſtoli, ad Romanos, duæ ad Corinthios, ad Galatas, ad Epheſios, ad, Philippenſes, ad colloſſenſes, duæ ed Theſalonicenſes, duæ ad Timothæum, ad Titum, ad Philemonem, ad hebræos. Petri Apoſtoli duæ, Joannis Apoſtoli tres, Jacobi Apoſtoli una, Judæ Apoſtoli una, & Apocalypſis Joannis Apoſtoli.

Si quis autem Libros ipſos integros cum omnibus ſuis partibus, prout in Eccleſia Catholica legi conſueverunt, & in veteri vulgata latina editione habentur, PRO SACRIS ET CANONICIS non ſuſceperit, & Traditiones prædictas ſciens & prudens contempſerit, ANATHEMA ſit. Omnes itaque intelligant, quo ordine, & via ipſa Synodus poſt jactum fidei Profeſſionis fundamentum, ſit progreſſura, & quibus potiſſimum Teſtimoniis, ac Præſidiis IN CONFIRMANDIS DOGMATIBUS,

MATIBUS, & instaurandis in Ecclesia moribus sit usura.“ Hucusque S. Tridentini Concilii verba.

LXXXI Ex quibus Lector, quiscunque ille sit, absque omni difficultate concludit, omnes Stattlerianos hac in gravi causa discursus, distinctiunculas & *in gradus & Species* SS. Librorum divisiones non nisi novas esse inventiones, novumque novæ Clarificationis partum. Neque in eo subsistit, quod addidit, *Protestantes in canone novi Testamenti statuendo hodie cum Catholicis convenire.* Enim vero, Protestantes in Canone *etiam novæ Legis* statuendo necdum inter se, multo minus hodie cum Catholicis conveniunt. Sufficit rem ex pluribus in uno exemplo declarare. Quidam illorum Cum Clariss. Joa. Frideric. Stein Superintentente Carolosuensi *Melanchthonis* partes sectantur & defendunt Epistolam S. Jacobi *Catholicam* esse vere Canonicam. Plures *Luthero* adhærent, qui eandem Epistolam plane reiiciunt. Lutherus porro in Colloquiis mensalibus à M. Antonio Lauterbach collectis & postea per Joannem Aurifabrum in locos communes distributis *fol.* 399. de verbo ad verbum ita loquitur: „ Viele haben „ gearbeitet, sich bemühet, und darüber geschwitzt „ über die Epistel St Jakob, daß sie selbe mit St. „ Paul vergleichen, wie dann Ph. Mel. (Philippus

„ Me-

„ Melanchthon:) in der Apologia etwas davon gehan-
„ delt, aber nicht mit einem Ernst; dann es ist stracks
„ wiedereinander: **Glauben macht gerecht, und**
„ **Glauben macht nicht gerecht.** Wer diese zu-
„ sammenreimen kann, dem will ich mein Bareth auf-
„ setzen, und mich einen Narren schelten lassen. "

Passus V. De Traditione & Eccl sia.

LXXXII. Sed & in eo graviter lapsus est, quando de Ecclesia & Traditione *fol.* 275. *loc. cit.* ita docuit: „ Protestantes *ob moralem humanam* „ omnium Ecclesiarum Christianarum Traditio- „ nem admittere debere canonicos libros veteris, „ & Libros Protocanonicos novi testamenti. " Non tantum Amice mi! sed, si sincere ad Religionem Catholicam Protestantes convertere se velint, credere, & sine distinctione admittere debebunt Libros, qui in Decreto Concilii Tridentini descripti sunt, eosque omnes, non *ex traditione morali humana*, sed *divina*, *tanquam vere divinos*, venerari.

Docet 2do. „ Eosdem Protestantes Ecclesiam „ JUDICEM agnoscere teneri contrariarum Tra- „ ditionum, ita quidem, ut Traditioni illarum „ Ecclesiarum *quomodocunque paucarum*, quæ cum „ Traditione Romanæ Ecclesiæ convenit, tan-

„ quam

„ quam divinæ ſubſcribere debeant. “ Aſt, quia alienis Sacris addicti Eccleſiam etiam moraliter univerſam, ſuoque capiti conjunctam pro infallibili controverſiarum fidei Judice agnoſcere renuunt, id, quod *de quomodocunque paucis Eccleſiis* dictatorie pronuntiavit, opportunis remonſtrationibus illuminari, & declarari *ad guſtum moderni ſæculi* debuiſſet. Nos quomodo res ſe habeat Volumine II. exhibebimus.

Greſſus VI. De Sacramentis.

LXXXIII. Hic Locorum Clar. Stattlerus Proteſtantes obſtringit, „ ut præter Sacramenta „ Baptiſmi & Altaris etiam Sacramentum *pœni-* „ *tentiæ* tanquam immediate à Chriſto inſtitutum „ revereantur, ad minimum, quod attinet *re-* „ *miſſionem peccatorum* ob clara Chriſti verba: „ *quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis &c.* “ Præterea vult, „ ut admittant, quod *omnia gra-* „ *via peccata* irremiſſibiliter fideles confiteri te- „ neantur ob legem vel formaliter & immediate „ à Chriſto latam, vel cum remiſſione peccato- „ rum *ad minimum connexam*, talique modo me- „ diate revelatam, atque ab Eccleſia debite de- „ claratam, inque uſum deductam. “ Verum, dum hoc audiunt.

Pro-

Protestantes insurgunt.

Et primum membrum Dubiosi D. Stattleri, quod lex *omnia mortalia peccata Sacerdoti apperiri debere à Christo formaliter* lata fuerit, rotunde negant. „ Ad alterum vero membrum, *quod Lex* „ *omnia mortalia peccata confitendi ad minimum con-* „ *nexionem habeat, cum data potestate remittendi* „ *peccata*, consequenter etiam ex hoc capite ob- „ ligationem inducat, altum clamant: „ Ex eo clare deprehendi, Clarissimum ipsumet anxium hærere, utrum lex ista *(omnia mortalia confitendi)* inter formaliter à Christo revelatas leges, seu doctrinas numerari mereatur, quia ex propriis verbis & principiis tantum *ob connexionem* cum lege formaliter revelata fundamentum habet, in se vero ipsa, & sua natura nec est formalis divinæ revelationis, neque infallibilis autoritatis, sed tantum infallibilitatis formaliter Ecclesiæ concessæ extensio à Theologia Catholica (ut in formalibus supra Stattlerus locutus est) introducta, adeoque merum, merissimum humanum additamentum.

Nam hæc sunt verba Clar. Stattleri *fol.* 146. „ Nullus Theologus Catholicus de- „ fendit, *similem extensionem infallibilitatis*, „ quando ecclesia aliquid definit quod tan- „ quam essentialis proprietas, aut sequela cum forma-

„ formaliter à Christo revelata doctrina *conne-*
„ *xionem habet*, *ejusdem esse certitudinis*, *ut illa*,
„ quæ pro formaliter revelata agnoscitur. Ec-
„ clesia (ait) illam *tantum pro certa* habet, &
„ practice supponit, seu potius præsumit (so
„ vermuthet die Kirche) quod donum infallibilitatis
„ formaliter à Christo Ecclesiæ concessum ad tales
„ casus possit extendere. „

LXXXIV. Non diffitemur, similes Stattlerianas opiniones in publicum sparsas Protestantibus sic argumentandi ansam præbere: Sed jam demonstravimus, quod ex VERA, ex PURA & SECURA Catholicorum Theologorum Doctrina definitivæ Ecclesiæ sententiæ minime hujusmodi connexionibus, sequelis, consequentiis & conclusionibus innitantur, sed vel Verbo Dei scripto, vel tradito; unde male loquebatur Clar. Stattlerus, dum *divisive* dixit, „ obligationem confitendi
„ gravia peccata oriri ex Lege VEL formaliter,
„ & immediate à Christo lata, VEL cum remis-
„ sione gravium peccatorum *ad minimum connexa*; „
Melius idem Clariss. Stattler contra D. P. Bedam *fol.* 257. ita docuit, „ in ea, quæ P. Beda concedit:
„ *expressam peccatorum confessionem AB INITIO*
„ *ab Apostolis tantum PER MODUM CONSILII*,
„ *& tanquam summe proficuum emendationis reme-*
„ *dium*, *non vero tanquam præceptum commenda-*

„ *tam fuisse, in ea* (inquit Stattlerus) *consentire*
„ *non possumus*, cum id, quod semel est *juris*
„ *divini* semper, certe, & ab initio juris di-
„ vini fuisse, plane necessarium est, minimeque
„ Apostolis incognitum. Si autem Apostolis cog-
„ nitum fuisse asseritur, officium Apostolatus exi-
„ gebat, ut tale jus in seriam & accuratam ob-
„ servantiam deducerent; eo magis, quia alius
„ contrarium exemplum, & non observantia
„ hujus Legis insuperabilem posuisset obicem,
„ ne istius præcepti observantia pro futuro in
„ usum, seu exercitium veniret. Privati homines
„ (bene continuat Stattlerus) qui Sæculo IX. hanc
„ Legem juris divini esse negabant, nihil faciunt ad
„ rem, cum sciamus Doctrinas clarissime in SS.
„ Litteris contentas à malis hominibus impug-
„ natas fuisse, & hodiedum impugnari. "

Quæ, cum ita sint, firma, illæsa, & inexpugnabilis manet, nostra, seu potius totius Ecclesiæ Catholicæ sententia, Præceptum confitendi peccata mortalia ex Traditione divino-apostolica descendere, sive illud Christus Apostolis declaraverit, sive sensum verborum Christi ipsis Spiritus Sanctus inspiraverit, manet enim semper idem divinitatis principium; adeoque etiam hic evanescit prætensa illa & præsumpta supernaturalis formaliter Ecclesiæ concessæ infallibilitatis

ex-

extensio ex consequentia, *& connexione* deducta. Id, quod ex aperta Ecclesiæ in Concilio Tridentino congregatæ Definitione patet, quæ *Sessione XIV. can. VII.* seqq. verbis exarata conspicitur. „ Si quis dixerit, in Sacramento Pœ „ tentiæ ad remissionem peccatorum necessarium „ non esse *jure divino*, confiteri omnia & singula „ peccata mortalia, quorum memoria cum debita „ & diligenti præmeditatione habeatur, etiam „ occulta, & quæ sunt contra duo ultima Deca- „ logi præcepta, & circumstantias, quæ peccati „ speciem mutant: sed eam Confessionem tantum „ esse utilem ad erudiendum & consolandum pœni- „ tentem, & olim observatam fuisse tantum ad sa- „ tisfactionem canonicam imponendam: aut di- „ xerit, eas, qui omnia peccata confiteri student, „ nihil reliquere velle divinæ misericordiæ ignos- „ cendum: aut demum, non licere confiteri pec- „ cata venialia: Anathema sit. "

LXXXV. Denique concludit Clariss. D. Stattlerus *fol. 276. loc. cit.* „ Protestantes tenentur „ Præceptum *confitendi mortalia peccata* tanquam „ legem divinam *saltem mediate* à Christo institu- „ tam agnoscere, ac ei sese accommodare. " Hæc dicta conveniunt cum iis, quæ eodem loco pronuntiat: „ debent quoque Protestantes præter „ nominata Tria Sacramenta, Baptismi, S. Al-

„ taris & pœnitentiæ admittere etiam reliqua „ quatuor Sacramenta, *ad minimum* iterum ut „ *mediate* instituta à Deo. „ tenore hujus sententiæ C. D. P. Beda putat, bene dici posse, hæc esse *Sacramenta Ecclesiæ*, illa vero *Sacramenta Christi.* Dolendum sane (scilicet, ut retro) quod in hac doctrina nec parvuli, nec senes hucusque instructi fuerint. Adhucdum enim per universam Ecclesiam, Conc. Tridentino Sess. VII. can. I. duce, populi longe aliter interrogati respondere tenentur ad duas has quæstiones: *quot sunt Sacramenta?* — Septem. — *Quis ea instituit?* — Christus Dominus. — Verba S. Concilii sunt, ut sequitur: „ si quis dixerit, Sacramenta novæ „ legis non fuisse omnia à Jesu Christo Domino „ nostro instituta, aut esse plura aut pauciora, „ quam septem &c. anathema sit. „ Ad Quid ergo jam iterum tam inutiles & populo scandalosæ extravagationes? Unus dicit: *S. Apostolus Jacobus Sacramentum extremæ unctionis instituit.* Alter ait *Sacramentum Confirmationis in aliquo concilio Metensi fuisse institutum.* At vero, cordati omnes & boni Theologi sciunt, quod hæc verba facilem explicationem accipiant, & *abusivus* quorumdam loquendi & scribendi *modus* non debeat servire *pro regula*, sed ad regulam reduci, cogique.

Hoc admittitur, quod Clar. DD. Stattler & Beda defendunt, Christum Apostolis, & in iis

Ecclesiæ potestatem dedisse, quorumdam Sacramentorum, in specie SS. Ordinum denominare & determinare *ceremonias*, *& sensibiles res*, quibus Ratio Sacramenti adveniat, sed id certe aliud non importat, nisi, quod is, aut illi, qui illas determinant, *easdem ceremonias instituisse* dicantur. Apostoli igitur, & Ecclesia à Christo & Spiritu Sancto instructi didicerunt, quod Deus sit INSTITUTOR Sacramentorum. *Ceremonias* autem in quibusdam Sacramentis *instituere* ad ipsos, ex potestate & voluntate Salvatoris, pertineat.

LXXXVI. Regrediamur paulisper ad Theologiam scholasticam, quia genuinæ ipsius studium vero Theologo admodum non modo utilis, sed in quibusdam materiis necessaria est. In Sacramentis duo considerare debemus: *Physicam constitutionem, & Methaphysicam essentiam.* Physicam constitutionem quod attinet, notum est, quod hujus constitutionis partes aliæ haud sint, quam eæ, quas Concilia Tridentinum & Florentinum *materiam & formam* (ut paucis totum significarent) nominaverunt, antiquitus vero simpliciter *Res Sacramentorum*, *Mystica symbola*, *Sacra signa*, *Religionis initia*; item *Elementum*, & *verbum* vocata sunt, juxta illud tritum S. Augustini *tract. in Joan. LXXX. quid est aqua, nisi aqua: accedit verbum ad Elementum, & fit SACRAMENTUM.* Quid autem est *Sacramentum* in concæptu suo essentiali methaphysico?

R. In methaphyſica conſideratione, „ cum „ multæ RATIONES ſint (ſunt verba Catechiſ- „ mi Romani *Lib. II. Cap. I.*) quæ ad hanc Rem „ ſignificandam aptæ ac accommodatæ videantur, „ nulla tamen planius & dilucidius eam demon- „ ſtrat, quam definitio à D. Auguſtino *Lib. X. de* „ *civit. Dei Cap. V.* tradita, quam deinde omnes „ DOCTORES SCHOLASTICI ſecuti ſunt. *Sa-* „ *cramentum*, inquit ille *eſt ſignum Rei ſacræ.* „ Proin *ſigni* ſacramentalis ab aliis ſignis DIFFE-RENTIA in eo conſiſtit, quod Sacramentum ſit *ſignum Rei SACRÆ,* „ Divinarum autem rerum „ Scriptores (inquit *cit. CATECHISMUS loc.* „ *cit.*) *ſacræ Rei* nomine *Dei gratiam*, quæ nos „ ſanctos efficit, ac omnium divinarum virtu- „ tum habitu exornat, demonſtrant. „ Genus vero proximum in laudata S. Auguſtini Definitione Sacramenti eſt extra dubium *Ratio ſigni*, ſeu ipſa INSTITUTIO DIVINA PASSIVE SUMPTA, quæ eſt formaliter denominatio extrinſeca deſumpta à voluntate Dei, aſſumente has vel illas ceremonias à ſe ipſo determinatas vel ab aliis determinandas ad gratiam, ſeu effectum Dei gratuitum practice ſignificandum, ita, ut dicta Inſtitutio paſſiva pro ſua cauſa agnoscat INSTITUTIONEM ACTIVAM, quæ nulli alteri, niſi, ſoli Deo immediate convenit & convenire poteſt, ſive Ipſe ſub-

ſtan-

ſtantiam phyſicam, ſeu ceremonias inſtituerit, ſive aliis inſtituendam, ac determinandam reliquerit. Hæc declaratio nemini diſplicere poterit, niſi ei, qui DOCTORES SCHOLASTICOS contemptui exponit, non tamen intelligit. Quamvis autem quidam SS. Patrum etiam ceremonias ſenſibiles ad ſubſtantiam & naturam Sacramentorum pertinere dicant, id tamen non intelligunt de ratione methaphyſica Sacramentorum formali, eſſentiali & quidditativa, ſed quietativa, ſecundum eſſe materiale & phyſicum. Ex quo venit, quod, licet Latina Eccleſia in collatione SS. Ordinum alias ceremonias, expreſſius traditam poteſtatam ſignantes, determinaverit, quam Eccleſia græca, ambæ tamen Eccleſiæ in *ratione ſigni* quoad ſuum eſſe formale & eſſentiale methaphyſicum conveniant. Quis modo hæc ponderans dicet ulterius: Hæc Sacramenta ſunt *Chriſti Sacramenta*, alia autem Sacramenta ſunt *Sacramenta Eccleſiæ*; aut; Chriſtus hæc Sacramenta *mediate* inſtituit, Apoſtoli autem *immediate*, quia ex voluntate Chriſti determinarunt, & inſtituerunt phyſicas & viſibiles ceremonias?

Progreſſus Ulteriores ad Unionem.

LXXXVII. Greſſus VII. ita pauciſſimis procedit: „ De *bonis operibus*, & *ſati faction pro*

„ *peccatis* hodie nos jam aliunde convenire cre-
„ do. “ Tantum pie credat, & sancte decipiatur. Non multum temporis abiit, cum quispiam Protestantium ad *Jubilæi publicam Indictionem* libellum edidit, in quo totum fundamentum in eo posuit: *Jubilæum inutile esse, quia cuilibet peccatori vere pœnitenti cum culpa pœnæ remittitur*, cui contrarium expresse definitum est in S. Concilio Tridentino Seff. VI. *Can.* XXX. „ Si quis post ac-
„ ceptam justificationis gratiam peccatori pæni-
„ tenti ita culpam remitti, & reatum æternæ pæ-
„ næ deleri dixerit, ut nullus remaneat reatus
„ pænæ temporalis exsolvendæ vel in hoc sæculo
„ vel in futuro in purgatorio, antequam ad reg-
„ na cœlorum aditus patere possit: anathema
„ sit. “

LXXXVIII. Cohœret hæc Catholicorum Doctrina cum Dogmate, *quod Ecclesia potestatem habeat concedendi Indulgentias*, de quibus Clariff. D. Stattlerus cito pertransit, quamvis notissimum sit & pervulgatum, *impugnatas Indulgentias* occasionem præbuisse horrendi à Luthero causati Schismatis. Hæc potestas ex eo demonstratur, quod Christus Apostolis, atque in ipsis legitimis successoribus ligandi, atque solvendi potestatem *sine limitatione* tradiderit. Quid enim est solvere, quam indulgere, quid indulgere, quam solvere? atqui

sub

ſub nomine *Indulgentiarum* nihil aliud intelligitur, quam *Remiſſio, ſeu indulgentia & ſolutio reatus pœnæ temporalis in hoc, vel in futuro ſæculo ſolvendæ, ſuppoſita remiſſione reatus culpæ & pœnæ æternæ.*

Quia enim certum eſt ut, mox audivimus, *quod accepta per pœnitentiam juſtificatione, qua reatus culpæ & pœnæ æternæ remittitur, non eo ipſo remittatur reatus pœnæ temporalis*, penes Eccleſiam eſt, QUOMODO pœnas temporales ſolutioni obnoxias ſolvi velit, aut remittere, ita, ut ſolvendi POTESTAS ad Dogma fidei, MODUS autem præſcriptus ad diſciplinam pertineant. His omnibus omiſſis, Clariſſ. Stattler hæc tantum inſinuat. „ Sufficit, ſi Proteſtantes Tridentini Decretum „ *ſatis indefinitum* teneant, & de omnibus in eo „ omiſſis definitionibus id ſibi reſervent, quod „ rationi conſentaneum eſſe videbitur “ Ego autem ulterius inſinuo, quod, ſive Modus remittendi pœnas temporales *ſeverior* ſit, ſive *indulgentior*, ſemper tamen involvatur ſeria pœnitentia, atque remiſſio reatus culpæ & pœnæ æternæ prærequiratur. Errant igitur, qui, poſthabitis Scripturiſticis principiis, ratione ſola, & propria videri innituntur, & putant, quod, *quia modus ſolvendi pœnas temporales* per conceſſas Indulgentias lenior eſt, Eccleſia indulgere intendat ſen-

ſibus

ſibus, & humanæ deſtructæ naturæ blandiri. Neutiquam; Nam ſeriæ pœnitentiæ fructus cum firmiſſimo ſe emendandi propoſito ſic neceſſario ad lucrandas indulgentias requiruntur, ut hæc ſubſiſtere non poſſint, niſi illa præceſſerint. Dein vero, quia, remiſſo culpæ & pœnæ æternæ reatu, temporalis pœna non eo ipſo remittitur, ſubintrat ſolemnis S. Tridentini Concilii Seſſione XXV. in Decreto *de Indulgentiis* DEFINITIO, quæ talis eſt: „ Cum POTESTAS conferendi Indulgentias „ à Chriſto Eccleſiæ conceſſa ſit: atque hujus- „ modi poteſtate divinitus ſibi tradita, antiquis „ ſimis etiam temporibus illa uſa fuerit; Sacro „ Sancta ſynodus Indulgentiarum uſum, Chriſtiano „ populo maxime ſalutarem & SS. Conciliorum „ autoritate probatum, in Eccleſia retinendum „ eſſe docet, & præcipit, eosque anathemate „ damnat, qui aut inutiles afferunt: vel eas con- „ cedendi in Eccleſia poteſtatem eſſe negant. “

Paſſus IX. de Purgatorio.

LXXXIX. Eximius Dominus, Quocum hucusque nobis negotium fuit, taliter ſe declarat: „ Satisfacient Proteſtantes, ſi doctrinam „ de purgatorio pro maxime rationabili & cum „ dogmate formaliter revelato *connexam*, &,

con-

„ consequenter facta legitima Ecclesiæ declara-
„ tione *pro vera* habeant. „ Non sufficit Exim.
& Clariss. Domine! hanc Doctrinam tantummodo
rationabilem & veram dicere, sed eam ut fidei Dog-
ma ex motivo supernaturali fidei credere oportet,
ac profiteri. Audiatur denuo S. Tridentini Defi-
nitio Sessione XXV. De Purgatorio ita loquitur:
„ Cum Catholica Ecclesia, SPIRITU S. edocta,
„ & *SS. Litteris*, & *antiqua Patrum traditione* in
„ SS. Conciliis, & novissime in hac æcumenica
„ Synodo docuerit, *Purgatorium esse*: animasque
„ ibi detentas, fidelium suffragiis, potissimum
„ vero acceptabili Altaris Sacrificio juvari: præ-
„ cipit S. Synodus Episcopis, ut sanam de Purga-
„ torio doctrinam a SS. Patribus & Sacris Conci-
„ liis traditam, à Christi fidelibus *credi*, teneri, doce-
„ ri & ubique prædicari, diligenter studeant &c. „
Quid dicit ad ista Stattlerus? Præoccupavit hanc
præjudicialem quæstionem, & jam antea *fol.* 261.
dixit sic: „ Quia Concilium nullum S. Scripturæ
„ locum adducit, & nullus alius nisi ille II. *Ma-*
„ *chabæorum Cap. XXII.* de hac materia tractat,
„ suspicari licet, Concilium Tridentinum unice
„ se fundare in claro II. Machabæorum textu.
„ Verum, cum in hoc loco neutiquam *divina for-*
„ *malis revelatio*, sed solum autoris, & Judaici
„ populi communis fides compareat, ac Libri

Ma-

„ Machabæorum *non tanquam libri divini formaliter*
„ *revelati*, ſed tantum *in inferiori quodam gradu*
„ ſint canonici, ideo (concludit Stattlerus) non
„ poſſum ulli Catholicorum Theologorum vitio
„ vertere, ſi *veritatem quidem* Purgatorii intuitu
„ ſolemnis Eccleſiæ declarationis acceptet, ſed
„ ſuum de divina formali facta revelatione ſu-
„ ſpendat. "

Belle, Belliſſime! gener: & œcumenicum Tridentinum Concilium SPIRITU SANCTO edoctum (ut in formalibus loquitur) non tantum *ex SS. Litteris*, ſed & *antiqua SS. Patrum traditione* definit & docet, *purgatorium eſſe*, & hanc Doctrinam in ſua puritate *à SS. Patribus & Conciliis traditam credi*, teneri, doceri & ubique prædicari demandat, & C. D. Stattlerus judicium ſuſpendi poſſe putat de divina formali facta Revelatione. Demus interim, Concilium (SS. Litteras quod attinet) ſe fundare ſolumodo in memorato Libri II. Machabæorum loco: An ergo non de ipſa hujus libri divinitate edocta eſt à SPIRITU SANCTO? An Traditio à SS. Patribus & Conciliis ab Apoſtolorum tempore deſcendens à Catholicis pro VERBO DIVINO formaliter & verbaliter revelato non amplius in gratiam hodiernæ clarefactionis reputabitur? An VERBUM DIVINUM in ſolis Litteris conſiſtit? An non amplius abEccleſia Catholi-

ca

ca in ſcriptum & traditum dividitur? Deinde Clar. Domine! An non ſe proprio condemnat judicio, dum *pro certo* propugnat, laudatiſſimum Trident. Concilium ex ſolo hujus Libri Machabœorum textu hanc de Purgatorio definitionem feciſſe? Quomodo ergo credere ſimul potuit, quod S. Concilium, ſine omni dato veſtigio, hunc Librum ad inferioris ſubſellii gradum reſpectu aliorum Div. Librorum depoſuerit? Quomodo hanc inauditam inter SS. Libros, juſto ordine in eadem ſynodo recenſitos, & ſub eadem qualitate autoritatis poſitos, graduum diſtinctionem fingere, & catholico orbi obtrudere potuit?

XC. Mera Myſteria! Id, quod in eadem materia Exim. D. P. Beda *utile*, & ad æternam ſalutem conſequendam *conducibile* dicit, aut ſaltem *minime contrarium*, id Clar. D. Stattler præterea *verum* proclamat. Sed, quantum D. P. Beda *certitudini* & *Veritati* Dogmatis (teſte ipſomet Stattlero *fol.* 205.) præjudicat, tantum Dogmatis *infallibilitati* detrahit Clar. D. Stattler. Beda ait: „ *ECCLESIA definiendo, Librum Machabœorum* „ *divinum eſſe, potuit errare, & ſors actu erravit*, „ quamvis errare nec poſſit, nec potuerit quædam „ definiendo, quæ in hoc (de omnibus libris deu- „ trocanonibus ſic loquitur) v. g. Libro conti- „ nentur. " Propterea enim, ait, „ Eidem à

„ Chriſto

„ Christo supernaturalis & divina infallibilitas for-
„ maliter concessa est, ne quidpiam definiat,
„ quod Saluti æternæ proficuum non foret, aut
„ omnino contrarium.“ Stattlerus defendit, non tantum utile, & saluti minime contraria esse, quæ ab Ecclesia solemniter definiuntur, sed in hac, de qua loquimur rerum linea, eadem definita insuper & vera existere asserit. Verum enim vero, dum ex hac parte hoc affirmat, ex altera divinam formaliter revelatam infallibilitatem Ecclesiæ factam fuisse *negat*, & hanc solumodo pia quadam præsumptione (vermuthlich) ad hujusmodi etsiamsi solemniter emanatas definitiones *extendit*, sicque, ut docti & eruditi statim & facile perspicient, graviori, quam D. P. Beda, lapsu, non tantum *veritatem* & *certitudinem*, sed ipsam infallibilitatem quoque illarum Protestantibus (quos cum Ecclesia unire cupit) suspectam reddit, ac improvidentissime pessumdat.

XCI. Clar Stattlerus *fol.* 203. in D. P. Bedæ Mayr novam unionis cum Protestantibus fabricandæ inventionem fatetur, „ negari non posse,
„ in ea multiplicatum *malarum sequelarum* peri-
„ culum latere, atque ob hanc causam Augusta-
„ nos Recensentes forsitan commotos fuisse, ut,
„ præstituta semel perpetua ac incessabili falsorum
„ criticorum ac clarefactorum impugnatione,

„ etiam

„ etiam D. P. Bedam invadere voluerint; ſed „ (pergit) ſibi firmiter perſuaſum eſſe, exceſſi- „ vum fervorem, & minus prudentem in hoc „ genere belli dimicandi modum parum prodeſſe „ pro expugnandis iſtis, ſed impedire potius *ne-* „ *ceſſariam & utilem clarificationem.* „ Rem actu non tetigit Stattlerus, Nam Auguſtani Recenſentes hujusmodi egregiis clarificatoribus hic frenum iniciunt, ibi terrent, aliis calamum excutiunt, adeoque tantum pergant ſcribere, & pro meritis refutare hujusmodi clarificatores. Eodem modo & tenore pro illuminativa clarificatione perorat D. P. Beda & omnia bona omniatur ex felici & celleri progreſſu Febronii, Zochſtenii & Emſenſis congreſſus. Sed reponimus, quod Viennæ in Auſtria Summus Canzellarius ſtatus hujusmodi Clarefactori reſpondit: Quæſivit iſte: *an ergo bellicoſo hoc Tempore Clarificatorum ingenioſi labores, qui hucusque orbem univerſum mire illuminaverunt, ceſſare deberent?* Abitote! cum indignatione, inquiebat dictus Canzellarius, abitote cum veſtris clarefactionibus, quæ totam Europam ad hodiernum uſque diem perturbant. Si quis impreſſis Viennenſibus Relationibus non credat, aquieſcat luctuoſæ miſeris noſtris temporibus experientiæ.

Reliqua,

Reliqua, de Veneratione Sanctorum, De Evangelicis Consiliis & Ecclesiæ Capite.

XCII. Gressu X. *De invocatione Sanctorum* ait Clariss. D. Stattlerus, „ quod, si Protestantes „ fateantur, Declarationem Ecclesiæ rationi con- „ sentaneam esse, sufficiat, nimirum, *veneratio-* „ *nem & invocationem Sanctorum esse bonam &* „ *utilem.* “ Sed, si Protestantes bene instruere placuisset, addidisset utique: „ *illos qui negant,* „ Sanctos æterna felicitate in cœlo fruentes in- „ vocandos esse, *impie sentire*, & hoc quidem juxta „ Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ usum á primis „ Christianæ Religionis temporibus receptum &c.“ Ita docere mandat Ecclesiæ in Conc. Tridentino congregatæ Decretum.

Porro, mirabuntur, qui ea, quæ Clar. Stattlerus gressu XI. *de Consiliis Evangelicis* pronuntiavit, legent. Ita habet: „ quod concernit „ Evangelica Consilia, Protestantes denuo in ca- „ pitali puncto nobiscum consentiant, necesse est, „ eo magis, quia evangelica Paupertas & Casti- „ tas juxta sensum litteralem verborum Christi „ Matth. XIX. & S. Pauli ad Corinth. VII. for- „ maliter & tanquam excellentes virtutes sunt „ revelatæ. “ Hem tantus D. P. Ex-Jesuita Obedien-

dientiam omittit! OBEDIENTIAM! notam illam Characteristicam, Stellam polarem, & gemmam inclytæ Societatis, quæ non contenta illo communi: *si vis perfectus esse &c. - VENI SEQUERE ME*, quartum votum priori addidit obedientiæ. Nimirum Talia non amplius sunt *ad gustum hujus sæculi*, & fors inter ea reputantur de quibus (ut *fol.* 158. loquitur) „ *debilia capita*, „ si ea in discursum veniant, scandalizantur: „ nempe Diurnum divinum officium & missale „ catholici Sacertotii scatere erroribus: notabiles „ hujusmodi errores puriori & altiori devotioni „ esse impedimento: Diversitatem Religiosorum „ Ordinum non esse ad genium & normam hujus „ sæculi: Exemptiones plus obesse, quam pro- „ desse: Excommunicationem *ipso facto* esse con- „ trariam mansuetudini spiritualis regiminis: „ Ordinem Episcopalis Electionis extra juris or- „ dinem vagari &c. „

XCIII. Sed mittamus nunc ista: fors occasio tractandi de istis dabitur alio tempore; Transmittamus etiam ea, quæ passu XII. Clar. D. Stattler de *Ecclesiæ Capite* disseruit, hanc enim materiam Volumine II. justo ordine & bilance ponderabimus. Nunc componere præstat unionis negotium, si Protestantes in animo habeant, cum Ecclesia, à qua ante ducentos annos infelici sydere

avulsi fuere, serio reconciliari. Nos minime adprobamus MEDIA à Viris, quos actu impugnavimus, novissime producta: Media nunquam antea in Ecclesia Catholica audita. Systemata eorum Ecclesiam matrem nostram non commendant, sed Ornatu, gemmis & floribus fernantem spoliant. DEPOSITUM CUSTODI scripsit Doctor gentium ad Timotheum. „ Quid est *depositum custodi?* „ bene interrogat Vincentius *Lirenensis*: & Re„ spondet: *quod tibi Traditum est*, non quod a te „ inventum, quod accepisti, non quod excogi„ tasti: non rem ingenii, sed doctrinæ, non „ usurpationis privatæ, sed publicæ Traditio„ nis &c. "

ECCLESIA, quemadmodum in iis, quæ ad Religionem pro cœlesti Patria obtinenda tam in materia fidei, quam morum spectant, absolute: irrefragabiliter ac sine omni exceptione in suis definitionibus infallibilis est, ita, ut, qui Eidem cupiunt uniri, IIS OMNIBUS ET SINGULIS, quæ à malignis novatoribus, vel aliunde (ut S. Irenæus supra citatus loquitur) *ex quocunque motivo, aut ratione* in controversiam deducta fuerunt, ab Ipsa vero solemniter definita, SUBSCRIBERE TENEANTUR, OMNESQUE ARTICULOS ET FIDEI DOGMATA amplecti.

Non

Non licet, ut lubet cum D. P. Beda Mayr suspicari, *fors erravit Ecclesia:* Ecclesia *potest errare*, columna Veritatis potest cadere, aut fors jam actu è linea directionis mota corruit. Minime gentium! Non licet cum C. D. Benedicto Stattler *fol.* 199. dicere, „ quamvis Ecclesia solemnes Definitiones „ in veritatibus speculativis quondam à se factas „ revocare non possit, poterunt tamen (inquit „ ipse) hujusmodi definitive editæ veritates *ex* „ *Formula Professionis fidei* deleri, &, utrum „ similibus formaliter non revelatis doctrinis as- „ sensum internum præbere velint, Protestan- „ tium conscientiis relinqui. Et quidem (prout „ ulterius ait) in tali casu pro futuro cum ipsis „ dispensari, ut, si in posterum solemnes ejusdem „ generis solemnes definitivæ Decisiones verita- „ tum ab Ecclesia emanarent, iis exterius assentiri „ minime teneantur. " Talia utique sunt intolle- rabilia, quod, dum Ecclesia in Concilio generali congregata PUBLICAM PROFESSIONEM sub anathematis pœna exigit, moderno tempore in civitate, & Regno ex asse Catholico, à publica professione Vir inter doctiores & celebres pro protestantibus uniendis dispensationem atque e- xemptionem expostulet.

Pro PROFESSIONIS ſimilis ab Eccleſia definitæ veritatis faciendæ exemplo in rem noſtram, finaliter, & plena induſtria ſumamus Concilii gener Conſtantinopolitani II. acta, de SS. TRINITATE, de Filio Dei & DEI GENITRICE MARIA quæ eſt.

Bojariæ Patrona.

Iſthoc Concilium an. 553. celebratum Collat. VIII. *quarto nonas* Junii, poſtquam Arius, Macedonius, Neſtorius & Eutyches, in quatuor primis gener. Conciliis jam proſcripti, iterato cum ſuis ſcriptis damnati fuere, Canone I. „ Anathematizat Eum, qui NON CONFITETUR „ *unam & eandem eſſe Naturam, ſive Eſſentiam*, „ virtutem, ac potentiam Patris, Filii & Spi- „ tus S. Trinitatem conſubſtantialem, *unam Dei- „ tatem in tribus ſubſiſtentiis ſive Perſonis* adorandam. „ Canone II. Anathematizat eum, qui NON CON- „ FITETUR Dei Verbum duas nativitates, unam „ ante ſæcula incorporaliter ex Patre, alteram Ejusdem in tempore incarnati ex ſancta glorioſa „ DEI GENITRICE. Canone VI. anathematizat „ eum, qui abuſive, NON VERE DEI GENI- „ TRICEM DICIT ſanctam, glorioſam, ſem- „ perque Virginem MARIAM. “

Et

Et quid, an non etiam Proteſtantes B. Virginem vere Dei genitricem & alia á prinis gener. Conciliis definita profitentur & credunt? Proin cum etiam reliqua Dogmata, in quibus adhucdum à nobis differunt, CREDENDO, Conſcientias ſuas non lædant, Quicunque ſunt *homines bonæ voluntatis* iſta quoque divina gratia illuſtrati facile profitebuntur, ſicque erit.

GLorIa In eXCeLsIs Deo
& In terra paX hoMInIbVs
bonæ VoLVntatIs.

§. IV. Alii atrociſſimi veræ Eccleſiæ Infallibilitatis hoſtes excutiuntur.

XCIV. Hucusque expugnavimus concœptus Eorum, qui diffidentes a Religione catholica cum Eadem, ſed mediis minus congruentibus unire cogitabant; id ſane (utriusque Perſonæ amicus, inimicus cauſæ) muneris noſtri fuit, atque Officii, ut apertas novitates Religioni Catholicæ nocivas ad menſuram datæ à Deo nobis gratiæ, atque aſſiſtrius Ipſius dexteræ revelleremus.

Nunc ille progrediatur, qui libellum ſcripſit ſub titulo *Hiſtoria critica de INFALLIBILITATE ECCLESIÆ pro promovendo liberiori Examine CATHOLICISMI.* Hic Autor nihil quæſivit aliud, niſi catholicam Eccleſiam in capite & membris, in Conciliis ſuis ac dogmaticis deciſionibus, in ſacris Ritibus, & diſciplinaribus conſtitutionibus proſtituere, ac Proteſtantes ab Ejus Sacris alienare. Imo, quod plus eſt, id agitat hujus Autoris illuminata vafrities, id quærit, id urget, ut tam Catholici, quam Proteſtantes ad obſcuras Liberorum muratorum Cameras illiciat, & omnem (ut clare videbimus) revelatam Religionem eliminet atque extirpet. Exemplo huic Autori jam anno 1786. Wirzeburgi præivit, & multum tempus eidem ad excoquendas ſuorum egregiorum cogitatuum ſubtilitates reliquit Dom. de CARL M** fors MURATOR voluit ſcribere, ſi totum licuiſſet pro temporum ſtatu exprimere. Quid quid ſit, ne minutum temporis perdamus, cito audiatur anonimi autoris

Prologus, & ad Lectores Præfatio.

XCV. In ea laudat *Libertatem cogitandi*, quæ (ſi ipſum audiamus) fortiores hodie, quam alias arietes

ariétes movet ad concutienda Ecclesiæ Catholicæ fundamenta. „ Potestne Ecclesia, ait 1mo. po-
„ testne tot mihi Theses tanquam fidei articulos
„ cum assecuratione infallibilitatis proponere,
„ sicut hucusque proposuit? Potestne Ecclesia
„ meæ ratiocinationi tales limites ponere, eam-
„ que tot cancellis includere, quales posuit, qui-
„ bus inclusit? quasi vero incognitum foret, 2do.
„ quod COACTIO, quam Ecclesia exercet, ex
„ una parte noceat clarificationi, ex altera autem
„ diffidentiam causet erga propriam suam autori-
„ tatem. Et quidem 3tio. cum Ecclesia (pergit)
„ deprehensa fuerit, quod sæpe sine sufficienti
„ fundamento deciderit, & opiniones mere scho-
„ lasticas ad supremum dogmaticæ veritatis sub-
„ sellium elevaverit, qui mirum esse potest, quod
„ Theologi Catholici ad paulo accuratiorem &
„ severiorem instituendam inquisitionem CA-
„ THOLICISMI animati fuerint, & ad *restrin-*
„ *gendum*, *modificandumque* fundamentale *Infalli-*
„ *bilitatis* principium. „ Eximium D. P. Bedam Mayr indigitat, eundem tamen *fol.* 486. acriter suggillat, quod *de signis veræ Ecclesiæ* quædam omiserit & de reliquis *non serio* tractarit. Tale præmium nimia indulgentia obtinuit. Interea (affirmat 4to.) „ minime sufficit, Ecclesiæ infalli-
„ bilitatem restringere & modificare, sed eam

„ in *sua substantia* aggredi debere pronuntiat, &
„ actu bellum movet, sævusque ad arma procla-
„ mat. Jubet argumenta *pro* & *contra* existentiam
„ ipsius ponderare, ac demum concludere, quod
„ sit omnino nihil, fumus & umbra. „ Postre-
mo Autor hujus operis ad Theologorum Catholi-
corum judicium appellat, ut ipsi decidant, an per-
pensis omnibus suis argumentis probativis non
oporteat tandem in causa concludere, & in illam
ultimatum ferre judicium? Distinguit autem inter
duplicem Theologorum classem. „ Quidam eorum
„ (inquit) nunquam de aliquo Catholicæ Reli-
„ gionis dogmate *dubitare serio sunt ausi*, sed,
„ excluso clarificationis lumine, radiisque dispar-
„ sis, *antiqua* sectantur! alii è contra magna sunt
„ illa candelabra, & melioris litteraturæ Atlan-
„ tes, qui clarificationis fulgoribus lucidi univer-
„ sum illuminant orbem. " Isti igitur Thronum
erigant, solium judiciale conscendant, &, quod
ipsis æquum & justum videbitur, infallibiliter de-
cidant.

Sed quæso! qualis anonimi istius Theologi,
qualis jurisprudentia? Scire deberet, quod Spiri-
tus S. EPISCOPOS posuerit regere Ecclesiam Dei,
prædicare, docere, decidere: Quare ergo hoc fo-
rum declinat? Quare Theologos appellat? Et qua-
les Theologos? „ Theologos (ait) *qui nunquam*
„ *serio*,

„ *ſerio, de aliquo Catholicæ Eccleſiæ dogmate du-*
„ *bitaverunt, rogo, ne librum meum legant, aut de eo*
„ *ſua ſenſa depromant*, ſed ſuam potius agnoſcant
„ debilitatem, ac commiſerationem deponant erga
„ illos Chriſtianos, qui extra infallibilis. ac unice
„ ſalvificæ Catholicæ Religionis gremio moran-
„ tur. „ Proin hujus ſortis Theologos hic autor requirit, qui clarificationis Stellis illuſtres nullam de errantibus á via ſalutis commiſerationem ſentiunt, &, qui *audacter* veritatem Dogmatum Eccleſiæ Catholicæ *in dubium vocant*, ſuumque de iis judicium generoſo auſu ſuſpendunt.

Audaces fortuna juvat timidosque repellit.

XCVI. Interea, nos ex dictis agnoſcimus quænam ſint Theologorum laurea illuminationis conſpicuorum rudimenta. De infallibilis, & unice ſalvificæ Eccleſiæ deciſis Dogmatibus dubitare, & ſerio quidem dubitare tenentur, ut veritates fidei è profundo puteo expiſcentur. Si Theologi hujusmodi de Deo, de Filio Patris, & ipſius divinitate, de humani generis Redemptione, De Eccleſia ab Ipſo fundata ſtudere, tractare & docere incipiunt, antea de iis omnibus *dubitare*, ac ſtudioſe, & *ſerio ſuum judicium ſuſpendere* obligatur.

Chri-

Christus Salvator dixit: *Ego & Pater unum sumus.* Ipse dixit: *Ego sum via, VERITAS & vita.* An ergo Theologus, aut quivis alius lumine veræ fidei illustratus homo, *an* igitur (inquam cum Divo Augustino) *non potius DUBITARE deberet, an vivat, quam non dari VERITATEM,* Deum, Dei Filium, & hujus sponsam sine ruga, & sine macula, utpote suo sanguine aquisitam? Atque istud ex hac Ratione, quia vita cujusvis hominis non nisi naturalibus ac sensibilibus experimentis comprobatur, Deus vero, Dei Filius, & Ecclesia præter naturalia prærequisita supernaturalibus & evidentissimis notis, signis, atque Motivis omnibus cognita ita præfulget, ut Arx posita supra petram, seu montem omnium oculis exposita.

Quænam Doctrina *vulgari lingua* in publicum sparsa periculosa est amplius, si hæc ipsa non est, quæ peccatis mortalibus serio committendis plenas portas aperit, quæ Catholicos de Filii divini verborum veritate dubitare jubet, ea, *ut, ut manifestissima,* suspecta reddere, organum Spiritus S. demoliri ac columnam veritatis deiicere non reformidat? quasi vero rationum momenta *contra* & *præ* alicujus rei veritate ponderari amplius haud possent, *quando* de istius certitudine aliunde, & propriori jam constat?

XCVII.

XCVII. Clariſſimus Vir peregrinus eſſe videtur, quid Catholica Theologia *de dubiis* in materia fidei doceat. Paucis Deum id ipſi. Quando alicui dubium contra hoc, vel illud Dogma veræ Religionis à ſcandaloſo homine, aut libello, qualem ipſe conſcripſit, excitatur neutiquam licet de veritate dogmatis, ob tetram aliquam nubeculam in pleno meridie dubium alere, ſtudio, & ſerio ei immorari. *Qui amat periculum, peribit in illo.* Aliud eſt clariſſime vir! rationum momenta ponderare, atque ex officio rationes inſpicere trutinare, ſolvere; aliud eſt, de exiſtentia & veritate dogmatis ab Eccleſia deciſi ſtudio, ſerioque dubitare.

Ponamus Juvenem ſtudioſum tua ſchediasmata legentem dubio contra SS. Trinitatis Myſteſterium, à te ſcandaloſe propoſitum, dubio exagitari. Is, quamvis captioſa & ſophiſtica plexinodia ex principiis á te directe huic articulo fidei oppoſitis ſtatim ac immediate ſolvere haud poſſit, minime tamen dubio aures præbere licebit, ſed ad motiva ſupernaturalia credibilitatis, ac *manifeſtiſſimam vocem Salvatoris* commendantis Eccleſiam, & hujus in docendo innerrantiam reflectere tenetur, talique modo in anchoris ſtabit, ubi quiete vel proprio ſtudio, vel aliorum inſtructione, Te, ac fractos hujusmodi & conquaſſatos arietes ridebit.

XCVIII.

XCVIII. Verum hoc est, inquit Anonimus, „ Ratiocinationi limites ponere, & cogere intel- „ lectum, ut ei, quod non intelligit, cœcus as- „ sentiatur, quod Ecclesia facere non potest sine „ propagandæ *clarificationis* & ipsius Ecclesiæ *auto-* „ *ritatis* præjudicio. „ Ego vero cum Apostolo pronuntio, similes, quales hodie ebulliunt clarificationes suffocari, impediri, & neutiquam tollerari debere, quia non sapiunt ad sobrietatem, status confundunt, Summo Regi, Deo & Domino nostro injuriosæ. Hoc ipso anno sapientissimus, ac Eminentissimus Elector & Archiepiscopus Moguntinus suo *ad Vicariatum*, & altero die *ad Universitatem hujusque Professores* emanato Decreto illustre exemplum præbuit. Neque verum est, quod *Ecclesia cogat* homines, ut credat, sed Deus præcipit, & sub interminatione judicii æternæ damnationis mandat, ut *captivemus intellectus nostros in obsequium fidei.*

Quod non capis, quod non vides,
animosa firmat fides.

Ex motivis credibilitatis, ac signis supernaturalibus omni ex parte evidentissimis *præter rerum ordinem.* Ecclesia spiritu S. edocta coactione utitur *quando*, & *in quantum* (ut Volum. II. audiemus) tenetur. De cœtero, ex officio suo *ad credendum proponit*, docet & prædicat, quæ Deus opt. Max.

jubet

jubet credere, quod ſane Eccleſiæ autoritati (ut Anonimus ſomniat) minime præjudicat, ſed potius commendat, alias Chriſtus non dixiſſet, *ſi quis Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & publicanus.* Erubeſcat autem hic *Catholiciſmi* temerarius Examinator, quando affirmat „ Eccleſiam „ *opiniones mere ſcholaſticas* pro Dogmatibus deci- „ diſſe. “ Infra audiemus, quod præcipua Religionis noſtræ myſteria pro opinionibus mere Scholaſticis ventitet, atque ultra hæc omnia affirmet. „ Fidei Dogmata pro temporum diverſitate mu- „ tari debere & circumſtantiis accommodari. “

Ne in recenſendis frivolis hujusmodi, nimiumque accumulatis Anomini Theſibus Lectorum abutamur patientia, non differamus opus ipſum aggredi, & in *octo ſectiones* diviſi Elenchum ante oculos ponere, breviter tamen, ſed recto ordine.

Sectione I. inſtituit Diſquiſitionem biblicam de Infallibilitate Eccleſiæ II. agit de forma Syſtematis Eccleſiaſtici ab Apoſtolorum ævo usque ad Nicænum I. gener. Concilium III. ab ea ſynodo ingenti ſaltu Deſcendit ad inferiora tempora, uſque ad magnum Schisma Sect. IV. tractat de S. Pontifice V. facit novam Delineationem ſupremæ Eccleſiæ autoritatis à magno ſchismate usque ad Conc. Tridentinum. VI. Exhibet Eccleſiæ Syſtema ab hoc concilio usque ad noſtram ætatem. VII. Rationes

tiones pro Infallibilitate Ecclesiæ impugnat, & demum VIII. *resultatum* narratæ historiæ suæ propalat.

Sectio I. Biblica contra Infallibilitatem Ecclesiæ documenta.

XCIX. Ut Anonimus viam *inveniendæ & retinendæ revelatæ veritatis* præcluderet, non tantum de decisis ab Ecclesia dogmatibus dubitare jussit, sed, ne dubiorum certa & infallibilis dissolutio habeatur, ac tutus salutis portus, autoritatem Ecclesiæ abrogare, Ejusdem Infallibilitatem suspectam reddere, & deridere non abhorruit. Ut minus tinctis oculis penitus obnubilaret, in ipsis verbis Domini, & SS. litteris intentionem suam fundatam esse, prætendit. Ast. Explanationes tam obscure obtrudit, ut earum postea interpretationem in omnem partem ex eventuum auspicio inflectere possit. Quæ non voluit, ea se velle simulavit: & licet nec voluerit, nec potuerit publico consulere, patrocinari tamen se velle finxit, ut debiles, atque in utramque partem claudicantes quadam clarificationis specie demulceret. Paucis, talem se gessit, ut non tantum Novatores triviales, sed & collegæ ipsius magis exspectare debeant eruditionis rivulos pro futuro, quam satientur

entur præſentibus. Quid quid ſit, nova, quæ *contra Infallibilitatem Eccleſiæ* excogitavit, accuratiori examini ſubiiciamus.

C. Quia ante alia contra eandem infallibilem autoritatem biblicum Examen inſtituere cogitavit, præ aliis S. Scripturæ locis aſſumere ipſi placuit Verba Salvatoris Matthæi XVI. Joannis XIV. & S. Apoſtoli Pauli ad Epheſios IV. & V. Capitibus.

Matthæi XVI. 18. Chriſtus Petro dixit: „ Ego dico tibi, quia tu es Petrus, & ſupra hanc „ petram ædificabo ECCLESIAM MEAM, & „ portæ inferi non prævalebunt ADVERSUS „ EAM. “ Ad hunc textum ‘ ut hic jacet, clariſſimum, quid dicit autor anonimus? Ait *fol.* 15. „ certum non eſſe, quod hæc verba portæ inferi „ non prævalebunt ADVERSUS EAM referri „ debeant ad Eccleſiam. “ Quare non? ipſus ignorat, & hæret aqua. Unde ad explanationem hujus textus ſe ſe accingit, & ita loquitur: “ Sub „ his formalibus, *portæ inferi non prævalebunt* „ *adverſus eam* intelligi terribilem illam, & omnia deſtruentem *mortis potentiam*, ut ſenſus ſit, „ nullæ inimicæ inteſtationes, neque ulla mortis „ formidabilis vis Eccleſiam vincere, vel ſubjugare valebunt, ſed, quod mortalitate ſuperior „ ſit evaſura & victrix æternum duratura. “ Sic eſt eximie Domine! de hoc nemo dubitavit

un-

unquam, qui verba Christi tantum obiter legit. Tempus edax rerum non superabit Ecclesiam, neque terribilium omnium terribilissima mors. Verum, ain! quare hanc egregiam Exegesin ex illustrissimo Calmeto describis, illud autem hujus Doctoris, quod principale est punctum, quod Christi intentum ad oculum demonstrat, veloci pede transiliisti, quasi a decem millibus in fugam actus?

Ego igitur describam, quæ doctissimus Augustinus CALMET ex S. Augustino *Libr. I. de Symb. ad Cathec.* ex SS. Epiphanio, Euthymio & Theophilacto candide non minus, quam erudite in hunc ipsum locum *portæ inferi non prævalebunt adversus eam* proposuit. „ Ecclesiam, „ inquit, comparat Christus cum domo, vel „ arce supra rupem constructa. Hanc minime „ quassum, aut captum iri prædicit ab Inferorum „ portis, seu viribus. *Hostium portæ*, ait, sunt „ illorum vires & conatus: unde *portæ inferi* „ universum illius imperium & exercitum sig- „ nificant. Nunquam igitur Dæmon Tyrannidem „ in Ecclesiam exercebit, nunquam illam supera- „ bit. Illam quidem *armis hæreticorum* aggredie- „ tur, *Tyrannorum odiis* vexabit, aliquas illius „ partes & membra opprimet: nunquam omnino „ illi dominabitur. Neque mortis metus, neque

„ hostium

„ hostium sævitia, neque Dæmonis artes illud
„ efficient, ut Ecclesia esse desinat, & Apostolici
„ viri DOGMATA ILLIUS ET CAUSAM non
„ tueantur. “ Patet igitur, quod non tantum vi textus illius *mortis*, sed omnis quoque *Inferni* rabies, doli & fraudes cedere debeant, ubi Ecclesiæ signa promicant.

Præterea, qualis est hæc inverecundia & impostura Anonimi, dum ita scribit: „ Theologos
„ huic Textui *inseruisse*, quod *Dogmatum conser-*
„ *vatio* Doctoribus, seu Pastoribus & Episcopis
„ conveniat. “ quisnam est iste, qui huic textui de se clarissimo vel unicum verbum inseruit.

Dominus de CARL Wirzeburgensis pariter simulat, se hæc verba Salvatoris non satis intelligere, nam á Doctoribus Catholicis exigit, „ ut,
„ quia nulla, hucusque definitio Ecclesiæ facta
„ fuit, *Ecclesiam infallibilem esse*, ex Traditione
„ demonstrent, hanc quæstionem de *infallibilitate*
„ *Ecclesiæ* non esse meram opinionem scholasti-
„ cam. „ Qualis Præsumptio! Definitionem Ecclesiæ postulare, cum verba Christi Domini adeo manifesta ab ipsis Apostolis in omnibus Evangeliis in sua puritate, sine ulla diminutione, additione, aut variatione, inque omnibus exemplaribus & versionibus ab omnibus totius orbis Ecclesiis, præcipue Romana *maxima & antiquissima*

illæsa conserventur? Deinde, an continuo, & omnibus retro sæculis ab Apostolorum tempore SS. Patrum in expositione Verborum Christi unanimis consensus nullam Traditionem demonstrat? Si D. de Carl de hoc disputare pergat, ostendit, quod prima Theologiæ principia ignoret, & SS. Patrum opera nunquam inspexerit.

Sane, nulla re opus erat, quam *manifestissimam vocem* Pastoris nostri in Evangeliis resonantem prædicare, ante oculos ponere, juxta ipsum sensum litteralem, prout, verba jacent, exponere, in praxin deducere & 1mo ad normam Apostolorum exorientes hæreticorum errores proscribere. 2do. veritatem manutenere, *visum est spiritui Sancto & nobis.* 3tio. ab omnibus factæ definitionis publicam professionem exigere, *qui me confessus fuerit coram hominibus confitebor & Ego Eum coram Patre meo.* Et 4to Eos, qui Ecclesiam in suis Pastoribus audire renuunt, è societate excludere & excommunicare. *Qui vos audit, me audit, qui vos spernit, me spernit*, Ecce enim *Ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi: qui Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & publicanus.*

CI. Hi textus modo propositi nos denuo inadvertenter ducunt ad Autorem nostrum Anonimum, ita enim iidem terruerunt hunc virum,

ut

ut veluti ab aliquo fulmine ſideratus, nec verbum de ipſis proferre potuerit, ſolum elapſo longi temporis intervallo *fol.* 301. hoc ſingultante lingua pronuntiat: „ illud, *qui eccleſiam non audit, ſit* „ *tibi ſicut ethnicus & publicanus* intelligendum „ eſſe *de fraterna correctione coram Præpoſitis ec-* „ *cleſiæ.* „ Hoc ipſum eſt, Clariſſ. Vir! quo autem, dicito nobis, quo caſu *correctio fraterna* neceſſaria eſt magis ac opportuna, quam, dum aliquis errat in fide, virus evomit, alios inficit, atque ſeducit á via veritatis ad portas inferi? ubinam, & quo caſu Paſtores & Eccleſiæ Præpoſiti majori numero & autoritate comparent, quam in Conciliis, in quibus falſa doctrina hujusmodi exerrantis Novatoris denuntiatur, examinatur, damnatur, proſcribitur, &, dum alii leviores nævi mitioribus pœnis caſtigantur, Hœreſis juſto anathemate proſternitur, & conculcatur? Quia anonimus ab his textibus tantam oſtendit perhorreſcentiam, permittamus eum pauliſper quieſcere, & ad alios ab ipſo citatos textus properemus.

CII. S. Joannes *Cap. XIV.* De Chriſto in ſynopſi ſequentia refert. „ JESUS ſolatur Apo- „ ſtolos, ait, ſe *viam eſſe, veritatem & vitam.* „ Spondet credituros majora prodigia edituros, „ quam ipſe patraverit; miſſumque iri à ſe ſpi-

„ ritum sanctum. Afferit, se suam illis pacem „ relinquere atque è re illorum esse, ut ipse „ discedat. “ *Hæc locutus sum vobis, ait 25. Paraclitus autem spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia, quæcunque dixero vobis.* Hæc, aliaque hujus Capitis momenta tantum ad Apostolos privative dicta fuisse prætendit anonimus. „ Tristes erant (inquit) Apostoli, quia Christus „ proximum suum ab iis discessum annuntiaverat, „ unde, ut tristitiam tolleret, dolorem leniret, „ ac lachrymas abstergeret, alium Paraclitum, „ seu Consolatorem se missurum esse adpromisit. “ Hæc sine rubore non scripsisset hic Examinator, si totum legisset capitulum, aut 15 & 16 non voluisset legentium oculis subducere. „ Si diligitis me (sunt verba Salvatoris) Mandata mea „ servate, & Ego rogabo Patrem, & alium „ Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum „ IN ÆTERNUM. “ In æternum, ait, spiritum sanctum apud ipsos mansurum esse, quemadmodum de se, & sua propria Persona dixit: *Ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi.* Quare de verbis istis tam altum silentium? An hæc verba tantumodo solatium sonant, præterea que nihil? An ea tantum ad Apostolos privative, & non etiam ad Eorum in Episcopatu Successores

spect-

ſpectant, atque de iis evidentiſſime intelliguntur? Apoſtoli glorioſis Martyrii Aureolis laureati æternum non vixerunt, ſed brevi poſtea defuncti ſunt, cum tamen Chriſtus dixerit, ſe uſque ad interitum mundi, & Spiritum Sanctum in æternum apud ipſos perſeveraturos & futuros eſſe. Quis non videt, vel ſi videre non poteſt, manibus palpat, Verba S. Evangelii clarificationes inanes anonimi diſſipare, ipſius fatuas illuminationes extinguere, atque ad nihilum omnino redigere.

Sicut VERBUM DOMINI MANET IN ÆTERNUM, ita ſpiritus ſanctus IN ÆTERNUM apud Eccleſiam manebit, apud Docentem Eccleſiam, ejus doctores atque Epiſcopos, ut veram fidem infallibiliter doceant, apud reliquos fideles, ut infallibiliter ſint certi, ſe veram & apoſtolicam fidem habere. Quantum ſolatium, quanta Conſolatio Catholicorum, quantum, quo Te ipſum privaſti, gaudium! quia enim Chriſtus aſcendens ſuper omnes cœlos ad dexteram Patris promiſſum ſpiritum ſanctum in filios adoptionis effudit, profuſis gaudiis ad hodiernum uſque diem totus in orbe terrarum mundus exultat.

CIII. Si Ulteriores Autoris S. Scripturæ paſſus, Scilicet Epiſtolam S. Pauli Apoſt. ad Epheſios IV & V Capitibus attentius perpendimus, eum penitus à Spiritu Sancto, quem in-

pugnat, derelictum fuisse experiemur. Adeo ipsum suæ præposteræ illuminationes obnubilarunt.

Doctor gentium *cit. Cap. IV à N.* 1. ita scripsit: „ Obsecro itaque vos ego vinctus in „ Domino, ut digne ambuletis vocatione, qua vocati estis, cum omni humilitate, & mansuetu„ dine, cum patientia, Supportantes invicem in „ charitate, soliciti servare *unitatem spiritus* in „ vinculo pacis. “ Hanc unitatem, quam Apostolus pluribus inculcavit, Anonimus noster consistere docet, & nos credere jubet, in, nescio, qualinam *concordia animorum.* Et, dum idem Apostolus *Cap. V.* de Salvatore, Ecclesiam sibi in sponsam eligente, pronuntiat: „ Christus di„ lexit Ecclesiam, & se ipsum tradidit pro ea, „ ut illam sanctificaret, mundans eam lavacro „ aquæ IN VERBO VITÆ, ut exhiberet ipse „ sibi GLORIOSAM Ecclesiam, non habentem „ maculam, seu rugam, aut *aliquid hujusmodi*, „ sed, ut sit SANCTA ET IMMACULATA. “ Hic autor pulcherrime subinfert, „ sponsam sine „ macula & ruga esse illam, *quæ bonos habet* „ *mores.* “ Quid est hoc, & qualis simplicium seductionis laqueus? S. Paulus *cit. Cap. IV. unitatem spiritus* tersissimis expressionibus consistere docet in AGNITIONE unius Domini, in SUSCEPTIONE unius Baptismatis, & expresse in

UNI-

UNITATE FIDEI. „ Unus Dominus, unum Bap-
„ tisma, una fides. Quare ergo hæc omnia ini-
„ quus iste Catholicismi Examinator omisit, sicut
„ & illud, *aliquid hujusmodi*?

Et, quod plus est, S. Apostolus eodem loco Ecclesiæ *infallibilitatis* donum (quod hæteroclita expositione supprimere cogitat) non tantum *in doctrina morum*, sed *fidei quoque*, subjunctis *immediate* sequentibus verbis clarissime datam fuisse ostendit. „ Unus Deus & Pater omnium (ait)
„ & ipse dedit quosdam quidem Apostolos,
„ quosdam autem Prophetas, alios vero Evan-
„ gelistas, *alios autem Doctores & Pastores ad*
„ *consummationem sanctorum: in opus Minisse-*
„ *rii, in ædificationem Corporis Christi*, do-
„ nec occurramus omnes IN UNITATEM FI-
„ DEI in virum perfectum, in mensuram ætatis
„ plenitudinis Christi, UT JAM NON SIMUS
„ parvuli fluctuantes, & circumferamur *omni*
„ *ventu Doctrinæ in astutia AD CIRCUMVEN-*
„ *TIONEM ERRORIS.* «

CIV. Quis modo tam stultus est, & tardus corde ad credendum, ut vel à longe cogitet, gloriam, sanctitatem, & immaculatam innocentiam divinæ sponsæ in sola membrorum concordantia, & bonis moribus consistere, deficere autem Ei, quod est fundamentum & radix omnium *recta*

fides, & veræ Religionis Divino Sponso placidæ firmamentum? *Credere oportet accedentem ad Deum*, ut ab initio diximus. Non ergo aliter Deus Ecclesiæ accessum ad se admisit, non aliter se eam desponsavit sibi, nisi *in Justitia, in fide & veritate.*

Apostolicis dictis consentiunt Prophetarum oracula. „ Lætabitur deserta (ait Isaias *Cap.* „ XXXV. 1.) & invia, & exultabit solitudo & „ florebit sicut lilium & germinans germinabit & „ exultabit lætabunda & laudans. Nam hæc dicit „ Dominus *Cap.* LXI. 89. dabo opus eorum IN „ VERITATE, & fædus perpetuum feriam eis, „ & scietur in gentibus semen eorum in medio „ populorum, omnes, qui viderint eos, cog- „ noscent illos, quia isti sunt semen, *cui Benedixit* „ *Dominus.* „ Jeremias Deum sic loquentem exhibet, *Cap.* XXXII. 4. „ Feriam *pactum sempiternum*, non desinam eis benefacere, & timorem „ meum dabo in corda eorum *ut non recedant à* „ *me.* „ Quid multis ex ore pariter altissimi ita Oseas loquitur: „ Sponsabo te mihi in sempi- „ ternum, & sponsabo te mihi in justitia, & „ judicio, & misericordia & in miserationibus, „ & sponsabo te mihi IN FIDE, quia Ego Domi- „ nus. „ Proin, ut habet Zacharias, „ in illa „ die exibunt *aquæ vivæ* de Jerusalem: medium „ earum ad mare orientale, & medium earum ad

„ mare

" mare noviſſimum, in æſtate, & in hyeme erit, " & ANATHEMA non erit amplius, " Nam ait Nahum, " Ecce ſuper montes evangelizantis & " annuntiantis pacem: celebra Jeruſalem feſtivi- " tates tuas, & redde vota tua, quia non adiiciet " ultra, ut pertranſeat in te *BELIAL*, *univer-* " *ſus interiit.* " Queis breviter Apoſtoli Pauli verbis ex *cit.* ab Anonimo *Epiſt, ad Epheſios V. Cap.* hanc ſectionem finio: " Nemo vos ſeducat " inanibus verbis, propter hæc enim venit ira " Dei in filios diffidentiæ. Nolite ergo fieri par- " ticipes eorum. Eratis enim aliquando tenebræ, " nunc autem Lux in Domino, ut Filii lucis am- " bulate; fructus enim lucis eſt in *omni bonitate* " & *juſtitia* & *veritate*, *ſine omni macula aut ruga*, " *AUT ALIQUO HUJUSMODI.*

Sectio II. De Syſtemate Eccleſiæ ab Apoſtolorum ævo usque ad Conc. gener. Nicæni I. Tempora.

CV. Anonimus Sectione I. *fol.* 5. ita ſcripſit: Pro *Acatholicorum Doctrina* & *Catholicorum ſecuritate* in ſtatuendo Eccleſiæ Syſtemate ſolam S. Scripturam admittendam eſſe. Atque ideo Sectione II. à *fol.* 44. omnem divinam Traditionem, veluti Scripturæ contrariam penitus amandat atque

pro-

proſcribit, & ita ſuam cauſam proſequitur: „ Ec-
„ cleſiæ *Hierarchiam* neutiquam divinis auſpiciis,
„ ſed terrenis adjuventionibus adſcribendam eſſe,
„ Summique, ſeu, Romani Pontificis *Primatum*
„ non à Chriſto inſtitutum, ſed ſerius introduc-
„ tum fuiſſe. Pari modo Epiſcoporum autoritate
pronuntiat, & 2do. concludit, Papam & reliquos
Epiſcopos, atque ex iis coadunata Concilia, ſive
generalia, ſive particularia judicialem poteſtatem
inde ſibi aquiſiviſſe, quod quilibet ſuam repræſen-
taverit Eccleſiam, ac nomine earum vota in ſy-
nodis dederint, judicaverint, deciderint.

Verumtamen *Traditionis ſcaturiginem* cum
clar. Bœmero ibi quærendam, atque inveniendam
eſſe *fol.* 77. prætendit, quia Eccleſiarum, præſer-
tim quas Apoſtoli ipſi fundarunt, Præpoſitis certa
autoritas adſcripta fuit, ex qua idea de Eccleſiæ
magnificantia fuit formata, indeque Syſtema de
ejus Infallibilitate. Hæc etiam cauſa fuit (ait ul-
terius 3tio) quod SS. Patres, in ſpecie S. Irenæ-
us ſecundi ſæculi Præſul famoſiſſimus, in rebus
controverſis *ad Traditionem Eccleſiarum ab Apoſto-
is conſtructarum appellaſſe* legantur, ut, quæ vera,
quæ falſa forent dogmata oſtenderent, ſicque fac-
tum, quod Eccleſia per orbem, ex pluribus coadu-
nata non tantum *Catholicæ*, ſed etiam *Apoſtolicæ*
nomen acceperit.

In-

Interim, SS. Optatum Milevitanum & Cyprianum Carthaginensis EccleſiæEpiſcopum arcum adhuc magis intendiſſe, dicit 4to, eo, quod palam docuerint, *externam communicationem* cum eadem Eccleſia *Catholica - Apoſtolica* ſignum eſſe veræ fidei & rectæ Religionis. Hæc ab Anonimo confuſe tradita, in juſtum à nobis, & intelligibilem redacta fuerunt ordinem.

CVI. Clariſſ. Autor Anonimus, quemadmodum in præſentis Sectionis pertractatione Eruditionem cum ignorantia, ita veritatem cum falſitate, arcam cum Dagone in eodem ſuo Templo poſuit & collocavit. Verum eſt, quod ex S. Scriptura deſumi poſſit qualisnam ſit & eſſe debeat Eccleſiæ *Hierarchia*, ſeu Eccleſiaſtici regiminis forma: Errat autem ignorantia craſſa, aut omnino affectata, dum illam in SS. Litteris clariſſime expreſſam non perſpicit, & omnino negat. In graviorem errorem prolapſus eſt, dicens: Divinam, quam Catholici admittunt, Traditionem S. Scripturæ contrariam eſſe. Quoties adhuc ſurdis hisce magiſtris altum inclamare neceſſarium erit, præter S. Scripturam, ſeu VERBUM DEI *ſcriptum* dari *traditum*: Traditum autem verbum non pugnare contra verbum Dei Scriptum, ſed in locis dubiis ſenſum illius genuinum & verum oſtendere, & declarare, eaque, quæ in Verbo Dei ſcripto non

con-

continentur, prædicare? „ Tenete Traditiones „ (inquit Apostolus) quas didicistis sive *per me*, „ sive *per Epistolam nostram.* “ Pariter 2do. eruditionem suam prodidit, & denuo Verum dixit Anonimus, *Episcopos & Ecclesiæ Prælatos suam quemlibet repræsentare Ecclesiam*; Nam sicut Principes suos Principatus & Reges sua Regna in se gerunt, & repræsentant, ita quælibet Ecclesia, seu Episcopatus in Episcopo, & *totum Ecclesiæ Corpus* (sicut S. Ambrosius de S. Pontifice loquitur) *in Capite est.* Ast iterum hic Autor eruditionem cum ignorantia, veritatem cum falsitate permiscuit, quando narravit, „ quod Episcopi *nomine* „ *suarum communitatum* vota in conciliis elargiti „ fuerint, & causas deciderint. „ Quod inde Papa, & reliqui Episcopi judicialem potestatem aquisiverint. „ Quod consequenter Hierarchia „ Ecclesiastica non divinis auspiciis fundata sit, „ sed terrenis inventionibus suam existentiam in „ acceptis referre teneatur. “ Omnia hæc falsa sunt, & subterraqueis inventionibus adscribenda.

CVII. Nihilominus, & denique adhucdum aliquid, quod veritati consentaneum est, cum clar. Bæmero proloquitur. *Quod Romanæ, aliarumque Ecclesiarum Prælatis, seu Episcopis certa autoritas adscripta fuerit.* Sed, *ecce Dogan jacet prorsus in terram ante arcam Domini.* Figmenta idolorum

pro-

proſtrata jacent: Veritas vincit, & palmis decorata triumphat. Dic nobis eximie cum tuo Boemero: *quisnam certam illam autoritatem* Romano, aliisque aliarum totius Catholici orbis Eccleſiarum Epiſcopis *adſcripſerit?* quisnam? niſi Chriſtus Dominus Deus noſter, & ſpiritus Paraclitus, quem à Patre mittere dignatus eſt? Chriſtus Petro CLAVES tradidit, & Spiritus Sanctus *poſuit epiſcopos regere eccleſiam*, apud quam ÆTERNUM, & usque ad ſæculi CONSUMATIONEM perpetua ſucceſſione continuata permanebit. Chriſtus Apoſtolis, atque in iis eorum Succeſſoribus dixit: *qui vos audit me audit. Prædicate ſuper tecta.* Non ipſi loquuntur, dum Evangelium ante Reges & Præſides promulgant, ſed ſpiritus Patris, qui in cœlis eſt. Hoc, hoc eſt Principium, & hæc eſt Scaturigo, ubi quæri debet origo Verbi Dei traditi & ſcripti, atque ex eodem fonte enatæ infallibilitatis Eccleſiæ, ſeu, ut Anonimo loqui placuit, *ex quo idea de eccleſiæ magnificentia formata fuit, indeque ſyſtema de ejusdem infallibilitate.*

CVIII. Hæc igitur fuit cauſa & motivum urgens, quod SS. Patres in majorum Cauſarum, præſertim controverſiis fidei, ad Cathedras ab apoſtolis erectas, præcipue vero ad Romanam appellaverint: Nimirum, ut *ex traditione divina* harum Eccleſiarum *Verbum Dei*, quod Apoſtoli ab ipſomet ſuo divino

Magiſtro

Magiſtro didicerunt, audirent, & in eo confirmarentur. In majorum cauſarum, inquam, & controverſiis fidei, quia in cauſis diſciplinaribus totam Eccleſiam non concernentibus ſemper quadrabat illud S. Hieronymi:

Si fueris Romæ, Romano vivito more,
ſi fueris alibi, vivito ſicut ibi.

Audiamus S. Irenæum, in cujus Autoritatem anonimus compromiſit, ſed verba ipſius, in quibus cardo vertitur, adducere non fuit auſus. *Lib. de Hæreſ. Cap. III.* jam ſupra citato ita habet. „ Per „ Romanæ maximæ, antiquiſſimæ, & omnibus „ cognitæ Eccleſiæ TRADITIONEM, *atque an-* „ *nuntiatam hominibus* FIDEM confundimus om- „ nes, qui præterquam oportet colligunt. Ad „ hanc Eccleſiam propter potentiorem Principa- „ litatem, NECESSE EST omnem convenire „ Eccleſiam. “ Quare *potentiorem* hæc Eccleſia habet Principalitatem, quare *neceſſe eſt* ad ipſam convenire omnem Eccleſiam, & ubicunque ſunt quicunque fideles? Cauſa eſt unica VOLUNTAS Salvatoris, qui Petrum & hujus Succeſſores centrum & Eccleſiæ petram conſtituit, in qua Apoſtoli & ipſorum perpetuis ſubſequentibus temporibus Succeſſores Epiſcopi, aliique ubicunque, & qui-

cun-

cunque Fideles veluti lapides in magnifico œdificio intimo Unionis nexu coalescerent, & fundarentur.

„ Numerate Sacerdotes (sic S. Augustinus „ totius Ecclesiæ Jubar *contra partem Donati* scrip„ sit) numerate Sacerdotes ab ipsa sede Petri, „ & in illo ordine Patrum quis cui successerit, „ videte. Ipsa est PETRA, quam non vincunt „ superbæ Inferorum portæ. „ Sic igitur, quamdiu hæc petra existit, manebit unio & communicatio, atque in hac unione & communicatione S. Pontificis, aliorumque Episcoporum autoritas. Excitabuntur æquidem contra Petram, & contra eandem Ecclesiam variæ tempestates & sœvi motus, qui ipsius tranquilitatem perturbabunt. At perturbatio Proditoribus (oportet enim esse hæreses) adscribenda est, Tranquilitas Petro, quod pro felici clausula in quadam scripturistica figura exhibere liceat.

S Ambrosius sermone XI. in Evangelium S. Matthæi *de Petri Navicula*, quam Christus, ut irruentem in se turbam evitaret, conscendere dignatus est, sequentia ad propositum commemoravit. „ Ergo, ait, cum Dominus illis ab irruentibus „ turbis semotus in terra esse non posset, aspi„ ciens in mari duas naviculas: unam navim Petri „ omni festinatione conscendit, ut importunitatis

„ in-

„ injuriam vel aquarum naturam compelleret, quia
„ eam Doctoris reverentia minime coercebat;
„ atque exinde cæpit de Navicula Petri ad homines
„ Doctrinæ suæ verba profundere. Hanc igitur
„ SOLAM Ecclesiæ navim ascendit Dominus,
„ *in qua Petrus magister est constitutus*, dicente
„ Domino: *Tu es Petrus, & super hanc Petram*
„ *ædificabo ecclesiam MEAM.* — Sed quomodo
„ (pergit Sanctus Ecclesiæ Doctor) hanc eandem
„ naviculam Petri, de qua nunc Dominus Cœle-
„ stis doctrinæ suæ sacramenta depromit, legi-
„ mus in Matthæo dormiente in eadem Domino
„ ventis insurgentibus perturbatam, ita, ut cuncti
„ Apostoli mortis periculum formidarent. Vi-
„ deamus, quæ causa est, quod una, eademque
„ navicula & in tranquillitate doctrinam populis
„ tribuat, & ibi in tempestatibus discipulis metum
„ mortis inducat, PRÆSERTIM, CUM IBI
„ ETIAM CUM RELIQUIS APOSTOLIS SI-
„ MON PETRUS ESSET? Hæc autem est causa
„ periculi. Erat ibi Simon Petrus, sed erat pa-
„ riter & proditor Judas: quamvis illius fides
„ fundaret naviculam, hujus tamen eam perfidia
„ conturbavit. *Tranquillitas est, ubi solus Petrus*
„ *navigat, tempestas, ubi Judas adjungitur.* In-
„ tellexistis hæc omnia? Dicunt ei etiam. "

CIX.

CIX. Quare, his perpensis, optime fecerunt SS. Patres omnes, & non tantum Optatus & Cyprianus, quod *externam communionem cum Ecclesia Catholico - Apostolica* postularint; quomodo enim *pro Ethnico & Publicano* haberi quis poterit, nisi *exterius* auditum ab hac Ecclesia avertat, & convertatur ad Ethnicorum atque hæreticorum fabulas? quando igitur Anonimus expostulat, quod Donatistæ *nullius hæreseos rei* fuerint, & tamen ob externæ cum eadem Catholica Ecclesia communicationis denegationem *pro hæreticis* habiti sint, prodit, se rem habere cum Donatistis, &, cum *Catholicum* se dicit, universæ germaniæ imponere.

Laconismus de Donatistis Hæreticis.

CX. S. Optatus Milevitanorum Episcopus omni major exceptione *Lib. I. n.* 8. historice seqq. memorat: „ Schisma non leve in Africæ Provin„ ciis confusam Mulieris iracundiam peperisse, „ ambitum nutrivisse, & avaritiam roborasse. „ Cum enim Cæcilianus Carthaginensis presbiter Lucillam fœminam nobilem oculis vagabundis S. Synaxin accedentem redarguisset, illa ultionem meditans secessit. Nec diu dilata sumendæ vindictæ occasio est. Cum enim Cæcilianus Episcopus ordinatus fuisset, præpotens fœmina Cœle-

ſtino & Bono Cathedram epiſcopalem ambientibus adhæſit, & ſic lamentabili ſchiſmati occaſionem præbuit. *Donatus* vero natione Aſer, vir audax & fallax, Schiſmaticorum primo fautor, Schiſmati, ut fieri amat, poſtea hœreſin adiecit, docens: „ veram Chriſti Eccleſiam toto Orbe periiſſe, & tantum *in ſua parte* intemeratam conſervari; hinc omnes ad ſe venientes juſſit rebaptizari, reordinari Epiſcopos atque Sacerdotes, & Virgines Deo ſacras ad emittenda de novo vota adigebat, Altare erigens contra Altare. "

Ad hanc hœreſin „ & illi pertinent (ſic S. Auguſtinus *Lib. de Hœreſibus ad Quodvultdeus n. 69.*) qui appellantur *Circumcelliones*, genus hominum agreſte & famoſiſſimæ audaciæ non ſolum in alios imania facinora perpetrandi, ſed nec ſibi eadem inſania parcendi. " Nam per mortes varias, maximeque præcipitiorum aquarum & ignium ſe ipſos necare conſueverunt, & in iſtum errorem quos potuerunt ſexus utriusque homines ſeducere. „ Verumtamen (ait cit. S. Auguſtinus *loc. cit*) plerisque Donatiſtarum diſplicent tales; hinc multa inter ipſos facta ſunt Schiſmata, & ab iis ſe diviſis cætibus alii, atque alii ſepararunt. „ Contra hos S. Auguſtinus dimicavit ſtrenue, &, prout ſupra diximus

trium-

triumphavit gloriose sæpius ab his hæreticis ad necem quæsitus. „ Nobis ipsis (inquit *Exposit.* „ *Psal.* 119.) accidit, ut in quodam bivio fallere„ mur, & non iremus per eum locum, ubi ope„ riens transitum nostrum Donatistarum manus „ armata subsederat: atque ita factum est, ut „ eo, quo tendebamus per devium circuitum veni„ remus, cognitisque insidiis illorum nos gra„ tularemur erraſſe, atque inde gratias agere„ mus Deo. "

Dum idem S. Doctor Episcopus gratias agit Deo, gratulatorias à S. Hieronymo accepit, quibus Eum *Epist. XXV. apud S. August. Tomo II.* his verbis ad ulteriora sufferenda animavit: „Macte „ virtute, in orbe celebraris. Catholici te con„ ditorem antiquæ rursus fidei venerantur, atque „ suscipiunt. Et, *quod signum majoris gloriæ est*, „ omnes hæretici detestantur, & me pari perse„ quuntur odio, ut quos gladio nequeunt, voto „ interficiant. Sed quid mirum, respondit san„ ctus Augustinus: " si, cum grana de area Domini excussa, simul cum terra & palea introrsum traho, injuriam resilientis pulveris suffero? vel, cum Domini mei oves perditas diligenter inquiro, spinosarum linguarum vepribus laceror? quid nunc dicit noster Anonimus, *Catholicismi* Examinator? *Donatistis nullam hæresin imputari potuisse?* qui

 nega-

negaverunt & Ecclesiam *Apostolicam*, seu infallibilem esse, & *Catholicam*, seu per totum orbem diffusam? Perpendat quæso! textum S. Irenæi *Cap. XX.* quem ipsus adduxit, sed in reprobum sensum datus, propria intellectus obstinatia non intellexit. „ In Ecelesia posuit Deus Apostolos „ (ait S. Doctor: Prophetas, Doctores & univer- „ sam reliquam operationem spiritus, cujus non „ sunt participes *omnes*, *qui non concurrunt ad Ec-* „ *clesiam*, sed semetipsos fraudant á vita per sen- „ tentiam malam & operationem pessimam. Ubi „ enim Ecclesia, ibi & spiritus, & ubi spiritus „ Dei, illic Ecclesia & omnis gratia. *Spiritus* „ *autem Veritas*, quapropter, qui non partici- „ pant Eum, neque à mamilla matris nutriuntur „ ad vitam. „

Sectio III. De Ecclesiæ Statu (in specie de Conciliis) à Nicæno I. gener. Conc. usque ad magnum Schisma.

CXI. Multæ scissiones & Schismata, Deo sic permittente, afflixerunt Ecclesiam, nullum autem magis, quam quod *magni* nomine ob temporis diuturnitatem initiatur, duravit enim ab Urbani VI. regimine usque ad celebrationem constantiensis Concilii. Adeoque autor in sua *Historia critica*

pro

pro acuratiori examine *Catholicismi* à Sæculo IV. quasi in ictu oculi venit, vel saltem se venisse putavit usque ad Sœculi XV. tempora. Felicem remigem, qui tam cito tot æquora sulcat. Sed, quale infortunium! Navis lacera mediis in undis, ventorum (*calumniarum*, volo dicere, *detractionum* ac *enormium falsitatum*) furiis obruta & detenta, velut immobilis hæsit, *nec ultra* portum gen. Conc. Nicœni I. venit. Videamus, utrum res ita se habeat?

CXII. Confidentia plenus 1mo. nos instruit, „ tempore Niceni con. generalis I. Systema Eccle- „ siæ ex aristocratia in Monarchicum regimen „ mutatum fuisse, &, cum ante hac lapis lydius „ veræ fidei ECCLESIÆ APOSTOLICÆ *fol.* 136. „ exstiterint, ab eo tempore CONCILIA unicum „ controversias fidei agnoscendi, terminandique „ medium habita sint.“ Interim, ait 2do. „ Non „ credebatur peccari contra infallibilitatem Ec- „ clesiæ, quando quis aliter cogitabat, quam in „ conciliis fuerat decisum, & declaratum.“ Hucusque primarium objectum anonimi exposuimus. Deinde vero sublato sipario ingens theatrum se explicat, in quo Philistæorum castra inter Sacho & Azeca conspiciuntur, & inde egrediens Golathus *Reg. I. Cap.* 17. ad exprobrandum & maledicendum Exercitui Jsrael, *& agminibus Dei*

viventis, id est, Anonimus ad maledicenda, exprobranda, ac inter sæva detractionum fulmina & tonitrua confundenda concilia generalia ab Ecclesia catholica celebrata progreditur. Deinde, contractis faucibus, ad Synodum gener. Nicænam I. regreditur, & *fol.* 148. cum Starckio & Fuchsio contra acta publica hæreticos *Arianorum* Antistites & pseudo Episcopos laudat, & laudibus supra astra extollit, Catholicos vero, columnas illas & veræ Ecclesiæ fulcra ad ima deprimit, carpit atque prostituit.

Denique, veluti Propheta Balaam, qui Numer. XVII. ad maledicendum Israelem exivit, eum tamen benedicere coactus est, sic etiam anonimus iste, dum dixit: „ Patres Ariminenses suas „ decisiones *non in extraordinaria, seu infallibili* „ *spiritus Sancti assistentia, sed in sacris litteris* „ *fundasse*, " quasi necessitate quadam & vi implusiva *fol.* 158 iisdem Patribus bene - dicere, ac Eorum Epistolam ad Constantium Imper. datam *ipsus* referens, totum suum Mausolæum cum omnibus maledicentiæ trophæis destruere, ac unico ictu confringere coactus fuit. Ita sonant litteræ: Clementissime Cæsar! „ permitte nobis „ profiteri FIDEM PATRUM NOSTRORUM, „ qui omnia INFLUENTE SPIRITU SANCTO „ SERIA DELIBERATIONE STATUERUNT. "

Enim-

Enimvero, egregie nuper quidam Poeta cecinit, —

Spissioris nebulæ mugiunt tonitrua
Spargunt minas, fulgura
nos faciunt horrere; — Sed
Horam sac effluere fugit nubes squillida
iride sub placida
Sol properat ridere.

CXII. Bene est, Temerarias irisiones & sarchasmos rideant alii cum suis autoribus, nobis istud sufficiat, quod Anonimus in præfatione & ingressu sui operis ipsus tersissimis verbis fateatur: „ se *dubitare*, an in suo hoc opusculo omnia ad„ ducta *legitime* allegata sint, & ex iis debitæ pro„ bationes deductæ. " quid enim desimili autore cogitandum, qui malos, peiores, & pessimos Autores v. g. Fuchsium, Starckium, quosdam anonimos, suspectum illum Thadæum, & Nicolaum Emericum, *Animosum*, den Freymüthigen, Spilterum, Richardum Simon, Patres Pistoiensis conciliabuli, Jurieum Pastorem calvinisticum &c. &c. citat, & ipsus nihilominus dubitat, utrum vel denique ex illis omnia legitime allegaverit, & rectas ex iisdem probationes deduxerit? Pergamus ad Doctrinam Autoris, quæ meris falsitatibus scatet,

1mo. Falſum eſt, quod tempore Concilii Nicæni I. Regimen Eccleſiæ fuerit ariſtocraticum. 2do. Falſum eſt, quod ab eodem gener. Concilio Monarchiam formaverit. Falſum eſt 3tio. quod Syſtema regiminis ex ariſtocratico in monarchicum fuerit mutatum. Falſum eſt 4to. quod ab eo tempore Concilia *unicum* controverſias fidei agnoſcendi & terminandi medium exſtiterint.

Regiminis Eccleſiaſtici forma in ſubſtantia nullam unquam mutationem ſubivit, ſed qualem ſupremus Paſtor, & animarum noſtrarum Epiſcopus Dom. noſter. JESUS inſtituit, ſemper in ſuo vigore inter innumeras viciſſitudines, perſecutiones, uſus, aut abuſus, exercitii mutationes, impugnationes & excitata à malis hominibus diſſidia eadem permanſit, & protegente Divino Numine perſtitit, atque perſtabit. Dixit Dominus *Joann.* XXI. Simoni Petro: *Petre amas me?* Paſce *oves, paſce agnos meos.* Huic ergo primo ſub Chriſto Paſtori, cui omnes ſine diſtinctione oves & agni concrediti fuerunt, nemo ſe poteſt ſubducere, quod pro hac vice, omiſſis omnibus aliis, apodictice magnus ille & ſanctus Auguſtinus *Epiſt ad gaudentium* expreſſit: „ Etiamſi Paſtorem te eſſe gloria„ ris, quia tamen de ovili dominico exiiſti, hæ„ dos tuos paſcis, non oves Chriſti: „ Quid porro de *Monarchia* & *Ariſtocratia*, quæ in paſtorali

à Christo instituto Regimine elucet, sentiendum sit, uberius Volumine II. illustrabitur.

CXIII. At vero, ut ad priora redeamus; Falsum est 5to, quod Autor absque rubore affirmat: „ Non credebatur peccari contra infallibi- „ litatem Ecclesiæ, quando quis aliter cogitabat, „ quam in conciliis fuerat decisum. „ DE CATHOLICIS enim omnes historiæ reclamant, & acta publica, adhuc in archivis conservata, ut infra exemplum dabimus.

CXIV. Superest, ad duas ab anonimo respondere interrogationes. *quam Speciem, præsetulit infallibilitas conciliorum?* 2do. *An ex eorum celebrationis modo suspicari quid licet de eorum infallibilitate?* Si à Schismaticorum, hæreticorum, aliorumque sectariorum Arii, Eusebii, Joannis antioch. Dioscori Alexandr. Photii &c. factionibus, dolibus, fraudibus abstrahas, species fuit decora nimis, & fructus optimus. Ut vulpes *ceruleum* anserem capiat, audiat Anonimus Collegam suum Dom. de Carl, qui, etsi præscindat ab infallibilitatis dono Ecclesiæ concesso, ita à *fol.* 95. loquitur: „ Ecclesia inde „ nihil perdit à sua autoritate. Pastores ipsius in „ conciliis congregati generalibus sedent tanquam „ testes de genuina veræ doctrinæ traditione, & „ de eadem certiores reddunt suarum Episcopatu- „ um fideles, qualiter in illis fuere edocti, sic-

„ que

„ que tanquam veri Paſtores comparent, dum
„ ſe, ſuumque gregem ab obſtinatis ſeparant,
„ qui *originalem doctrinam* impugnant, vel ei obe-
„ dire detrectant. “

Sectio IV. de Eccleſiæ ſtatu (nominatim de S. Pontifice) à generali conc. Nicæno I. usque ad magnum Schiſma.

CXV. Antiquatis fabulis intentus, talia in præſenti Sectione proponit, quæ conſultius omiſiſſet, cum vaniſſimæ oſtentati frænum jam dudum impoſuerit nobiliorum Doctorum labor. Nam etiam hic innominatus Autor, ut incautas, & noſtris temporibus ultra modum improvidas mentes ſubtili fraude circumcideret, ex variis variorum idiomatum libris præjudicioſa vix non omnia in odium Romanorum Pontificum corraſit, & in idioma germanicum (ut cives, & ruſticos falſis principiis imbuerit) tranſtulit. Quia iſta jam dudum confutata, contuſa, & revocata ipſus ſcivit, SI VIR FUISSET, debuiſſet Refutiones aggredi, easque juſtis armis impugnare, non autem aſtuto ſimulationis tegmine involvere, ac inconditis clamoribus triumphum canere poſt cladem. Putant hujus Palæſtræ milites, ſe arcem condidiſſe, in

qua

qua ſumma ſecuritas, & ſumma quies. Sed utique illa terribilis quies, & obſcura ſecuritas, quæ in veſperis (ut Monteſequieu monet) in propugnaculis dominatur, noctu ab hoſtibus ſubruendis.

Nam, ſicut nunc it, ſic ſemper ivit & ibit. Videant Docti ac eruditi Lectores imaginem Dianæ, quam hoc loco Anonimus in publicum produxit, & certe abque ulterioribus eidem libellum repudii tranſmittent. Hæc tela, hæc pharetra. „ Monarchalis poteſtas papæ *fol.* 222. originem „ habet à gregorii VII. tempore. „ Non ergo tempore, ut antea dixit, Nicœni Concilii Ariſtocratia in monarchiam degeneravit. „ Ab eo tem„ pore *fol.* 224. in Conciliis generalibus ſoli loque„ bantur Pontifices, & omnia ordinabant. Hi „ ipſi Pontifices *ſoli* tanquam Judices comparue„ re. Interim *fol.* 225. nihil celerius doctrinam „ *de infallibilitate Eccleſiæ* veluti dominantem pro„ movere poterat quam Collectio canonum gra„ tiani & Iſidoriani Epiſtolæ, in quibus inſolentes „ Pontificum prætenſiones comprehenduntur. „ Tandem Juſtinus Febronius producitur. O! Miſerum & jejunum Catholiciſimi Examinatorem!

Sectio

Sectio V. Declinatio supremæ Ecclesiæ autoritatis à magno schismate usque ad conc. Tridentinum.

CXVI. Pergit Anonimus, quia hic ei verba *de Ecclesiæ infallibititate* deficiunt, S. Pontificis autoritatem arrodere, & invidis dentibus lacerare Hi autem sequentes sunt fastuosi ausus arietes. „ Plures, ait, fuerunt causæ, quæ Papæ autori-„ tatem depresserunt. 1mo. Duo ordines Francis-„ canorum de strictiori & minus stricto usu rerum „ disputantium, ubi Nicolaus III. Antecessoris „ sui declarationi contradixit, sicque demonstra-„ vit, Pontificem non esse infallibilem. “ Franciscanorum strictioris observantiæ altissima paupertas præbuit ansam quæstionis, *utrum detur simplex usus facti separabilis à Dominio?* Jam ergo ostendat anonimus, qualis Pontifex hanc juris quæstionem tanquam infallibilem fidei, aut morum regulam toti Ecclesiæ tenendam, vel reiiciendam præscripserit? Potius in cuncavo lunæ apud Luniculas, quam in sublunari regione similem decisionem reperiet. Ad hæc Autor ignorare videtur, quomodo, qualiter, & quando defendi possit, & debeat, *Pontificem infallibilem esse?* Legere Ei placeat Volumen II sæpius citatum Historiæ SOPHONIÆ Regis Damasci filii, & hanc quæstionem ex asse solutam habebit. Se-

Secundum arietem movet anonimus & assecurat, quemdam innominatum autorem, & Nicolaum Eymericum docuisse, „ unum Pontificem „ prioris factam in rebus fidei definitionem revo„ care posse. “ Pro Superi! Hanibal ante portas! &, qui muri etiam fortissimi non trepitabunt ab hoc duplici ariete? clarissime! hæc illatio personaliter, materialiter, & formaliter nullius roboris, aut furfuris est. Ulteriora audiamus.

Pro tertia & ultima destructæ autoritatis pontificiæ causa assignat *magnum Schisma*, „ cujus „ occasione communem sententiam emersisse præ„ tendit, *Concilium esse supra Pontificem.* “ Allegat *fol.* 248. Almianum Parisiensem Doctorem & venerabilem ac gloria miraculorum illustrem Dionysium Carthusianum. Quod Almianus non sit albo, sed nigro calculo notatus, ipsum latere non potest. Quodvero Vener. Dionysium *Doctorem exstaticum* attinet, notifico, me quondam recto itinere, ut Justinum Febronium convenire valerem, Augusta moguntiam profectum fuisse. Nunc Clarissimo Anonimo suaderem, ut Moguntia Trevirim iter instituat, ibi Febronius, si adhuc viveret, in aurem ipse suggureret, se ipsum quoque *egregie deceptum* fuisse, quando ex, nescio, quo Autore, Venerabilem Carthusianum pro illa sententia, *quod Concilium sit supra Papam*, alegare

præ-

præsumpsit: Nam loco *verborum* tanti Doctoris (diceret invincibilis Febronius) se turpiter descripsisse non nisi *objectiones Schismaticorum*, quos ibi Dionysius Carthusianus nervose & invicto calamo refutat. Mundus *vult decipi*, *decipiatur ergo*. —

Sectio VI. Exhibitio systematis Ecclesiastici à concilio Tridentino usque ad nostra tempora.

CXVII. Nunc Tandem medium vix non superavimus æquor, sed ad fortunatas veritatis insulas viam præcludunt minaces undæ, in quibus Anonimus naufragium fecit. Audiamus ab ipso, quænam sint inconstantis elementi ludibria. Ad introitum hujus pertractationis pro certo defendit, „ iis temporibus Conciliorum autoritatem „ sic prævaluisse, ut Martino Luthero *à papa ad* „ *Concilium appellante* non tantum germani, sed „ alii quoque contemporanei appellationem ap- „ probaverint. Eo non obstante, ait, inter „ Catholicos præconcepta sententia *Ecclesiam in-* „ *fallibilem esse*, dominum *per ducentos adhuc annos* „ obtinuit, quoadusque demum *fol.* 259. clarifi- „ catus Theologus, eandem infallibilitatis Eccle-

siæ

„ ſiæ Doctrinam, immotam reliquens, variis
„ modificationibus reſtringere adlaboravit. “

CXVIII. Dum Autor defendit, quod Appellatio Lutheri a Papa ad gener. Concilium facta non tantum à germanis, ſed aliis etiam contemporaneis approbata fuerit, naviculam ſuam jam antea luxatam & laceram manifeſto interritus diſcrimini expoſuit. De Lutheri ſucceſivis greſſibus impartialis Caveus Anglus loquatur. Sæculo *Refor. fol.* 163. ita habet: „ Lutherus Wittenbergæ propoſitio-
„ nes ſuas *contra pontificias indulgentias* templa af-
„ fixit, interim ſcripta ſua Epiſcopi, & ſui Provin-
„ cialis, quin & Leonis Papæ cenſuræ ſubmiſit, nec
„ aliud poſtulavit, quam, *ut alia prædicandi for-*
„ *ma Indulgentiarum Præconibus* imponeretur. —
„ Exeunte anno Auguſtam petiit, ut coram Caie-
„ tano Legato, cui rem dijudicandam Papa reli-
„ querat, cauſam ageret. Caietanus ſententiam
„ revocare jubet. Ille vero meliora á Scriptura
„ doceri petiit, ſeque nihil pertinaciter aſſere-
„ re, *& in omnibus Eccleſiæ judicio* ſtare paratum
„ eſſe profeſſus, ad Papam prævocat. Anno au-
„ tem 1520. à Leone Papa damnatus & anathe-
„ mate percuſſus internecinum ab eo tempore bel-
„ lum autoritati pontificia indixit, publice ſtatim
„ Wittenbergæ combuſtis jure Canonico & Leo-
„ nis bulla 1521. à Cœſare CAROLO V. in comi-

tiis

„ tiis Wormatienſibus proſcriptus, Friderici Sa-
„ xoniæ Ducis juſſu in arce Wartenburgenſi in-
„ tegro ferme anno delituit. “ Quid! an novus hic Apoſtolus, ſi non Apoſtolos, *approbationem ſaltem à germanis* obtinuit appellandi à Papa ad generale concilium? Ille? Lutherus? qui omnibus Catholicis odioſus in Comitiis Wormatienſibus ſolemni decreto tanquam *publicus hæreticus*, & *antiquarum hæreſum reſtaurator* damnatus & proſcriptus fuit? Neque Luthero, ut de aliis germanis nihil dicam, Incidit, quod á Papa appellare valeat ad generale concilium, hæc enim ſunt verba ipſius *Tom. I. Epiſt. n.* 98. *pag.* 153. ad S. Pontificem exarata. „ Nunc beatiſſime Pater! coram
„ Deo & tota creatura teſtor, me neque voluiſ-
„ ſe, neque hodie velle *Eccleſiæ Romanæ*, *ac*
„ *Beatitudinis tuæ* poteſtatem ullo modo tangere,
„ aut quocunque verſutia demoliri: quin pleniſ-
„ ſime confiteor *hujus Eccleſiæ* poteſtatem eſſe ſu-
„ per omnia, nec ei præferendum quidquam ſive
„ in cœlo, ſive in terra præter unum JESUM
„ Chriſtum Dom. noſtrum. “ Eandem Eccleſiam Romanam *n.* 84. *pag.* 135. appellat *Matrem Eccleſiarum*, & *puriſſimum Chriſti thalamum.*

Notanda

Notanda ex Imperiali historia.

CXIX. Cum successu temporis majores latius serpendo vires acciperet contagium, „ Lutherus „ enim (ut pergit *cit.* Caveus) an. 1522. latibulo „ egressus Wittenbergam se contulit & causam „ Religionis *palam* egit. anno 1524. cucullum „ monasticum deposuit, Missamque in Ecclesia „ Cathedrali Wittenbergensi abrogari obtinuit" & multos homines usque ad Clementis VII. ætatem ad suam sectam pertraxit, unde idem Papa ad comitia Imperialia Norimbergæ celebrata misit Legatum Cardinalum Campegium, ut edictum Wormatiense executioni mandaretur. Verum, cum quidam potentiores Principes Lutherum jam animo imbibissent, frustra Cardinales, aliique status Imperii urgebant decretum Wormatiense, quin tunc alicui de appellatione à Papa ad generale concilium quidpiam incidisset. his stantibus Catholici status à Lutheranis divisi, cum Legato Pontificio Ratisbonam secesserunt, Lutherani se Spiram recipientibus, ubi Comitia tandem anno 1528. habebantur, & conclusum, „ Nullum amplius Catholicum posse deficere à sua Religione, „ ubi vero nova recepta sit, posse illam ibi persistere, non impedito tamen Catholicæ Religionis exercitio. Missam aboleri non posse &c.

„ Evangelium prædicandum in ſenſu ab Eccleſia
„ recepto. “

Quia autem contra hoc Decretum ſex Principes cum quatuordecim civitatibus Imperialibus *proteſtati* ſunt, initium ſumpſit famoſum illud PROTESTANTIUM nomen, quorum Legatis Carolo Imperatori tunc Placentiæ commoranti proteſtationem inſinuantibus, Auguſtus reſpondit: „ peſſime factum, quod PAUCI STATUS contra Decretum
„ proteſtari ſint auſi. In comitiis Imperii valere
„ *majorem partem* ſuffragiorum; hoc niſi obſerve-
„ tur, baſes ac fundamentales ejusdem leges ſub.
„ verſum iri. “ Inſtabant quidem poſtea ſæpius Proteſtantes, nimirum, ut tempus, & inde reſiſtendi majores vires aquirerent, & rogabant Imperatorem, non, ut appellationem à Papa ad generale Concilium faceret, aut approbaret, ſed, *ut ipſum Papam* ad celebrandum generale concilium inclinaret, nemo autem Ei, poſtquam coaluit, ſe magis oppoſuit, quam Proteſtantes. Scribere ergo Anonimus cum veritate minime potuit, Lutheri appellationem à Papa ad gener. Concilium *à germanis* approbatam fuiſſe, à quo ergo iterum Autore hanc apertam & generalem falſitatem deſcripſit?

CXX. Pariter in ſtatera inventus eſt minus habens, dum ita differuit: „ quod præconcepta
„ inter Catholicos ſententia *Eccleſiam infallibilem*

eſſe

„ *esse*, Dominium *adhuc* per ducentos annos obti-
„ nuerit, *donec tandem* clarificatus Theologus ean-
„ dem Infallibilitatis doctrinam variis mod fica-
„ tionibus restrinxisset. „ Non enim DOMINANS
„ solum inter Theologos Catholicos erat Doctri-
na ista, sed COMMUNIS omnium Catholicorum
fide divina credenda, quod autem primum *post ducentos* à Lutheri Schismate annos Contrarium quidam docere inceperint, id ipsum, quod INCOEPERINT, ipsis dedecori est, qualificata confessio est, proprius assensus est, quod neque à Christo provenerit, quod neque Apostoli, neque Ecclesiæ Doctores atque Episcopi per septendecim sæcula de novo hoc invento quidpiam sciverint, sed sit humanus, invitis superis enixus, tristis nimium luxuriantis ingenii partus.

CXXI. Jam vero incipiunt Mysteria, totis enim viribus Autor *directe* aggreditur Ecclesiæ infallibilitatem, cui tantum per indirectum hucusque insidias struxit. Nam, tam de *subjecto* ipsius, quam de *Objecto* curiosos scrupulos movet; & quærit: SI Christus Ecclesiam *infallibilem* esse voluisset; ain, quodnam est SUBJECTUM hujus prætendæ infallibilitatis? vel Papa, vel Concilium, vel dispersa per orbem Ecclesia? Tractat igitur á *fol.* 260. de S Pontifice, de Conciliis & dispersa Ecclesia, atque, ut tutus lateat, variorum autorum;

nominatim Pauli Sarpii, veluti clypeo se obtegit, ac ita in aciem procedit. 1mo. Theologos adducit illos, & eorum fundamenta, qui *Papam infallibilem esse pronuntiant*; Deinde Autores producit eos quoque, & istorum rationes, qui *S. Pontificem infallibilem esse negant.* 2do. Præfert Doctores, qui *conciliis infallibilitatem absolute abnegant*; & è contrario illos, qui *eam synodis generalibus inesse remis & velis propugnant.* Utriusque pariter partis dubia pro & contra in apricum producit. 3tio. Totus in eo est, ut viros in palestra litteraria nominatissimos, eorumque principia recenseat, qui *Ecclesiæ etiam dispersæ infallibilitatis donum aspersum esse pronuntiant*, ac è diametro Autores cum suis objectionibus oppositos.

Acie ita disposita, à *fol.* 285. quasi jam cuncto Catholici exercitus agmine inclusa teneret, victoriosus exclamat: „ Nulla amplius alia ad destru-
„ endam, & penitus annihilandam Ecclesiæ in-
„ fallibilitatem armorum opus est vi, nisi, ut re-
„ censeantur rationes, ac rationum momenta,
„ *quibus una sententia alteram ENERVAT.* Ex
„ his ipsis, ait, reciprocis contrariis Catholi-
„ corum principiis non est certum, quodnam sit
„ *Subjectum* Infallibilitatis, ergo neque certum
„ est dari infallibilem Autoritatem Ecclesiæ. “

CXXII.

CXXII. Quamvis ſuperius *n. CXII.* periculoſiores autores, quibus anonimus eſt uſus, nominaverimus, *Sarpium* tamen omiſimus, & adhuc indignum noſtris pagnis omitteremus, niſi hæc Sectio ageret *de ſtatu Eccleſiæ à Concilio Tridentino uſque ad noſtra tempora*, nullusque alius ſcriptor propudioſe & malitioſe magis contra Concilium Tridentinum atque SS. Pontifices ſcripſiſſet, quam Sarpius, noſterque anonimus autor hunc virum in Teſtimonium adducens, non obſtante, quod ab eximiæ doctrinæ Autoribus triplicem capitis diminutionem ſuſtinere debuerit.

Antequam igitur argutias excutiamus ab anonimo excogitatas, referre juvat, quantum valoris exiſtat & *Compoſitor* & *Hiſtoricus liber*. Iſtud ex eo liquet, quod non tantum Catholici, ſed Proteſtantes ipſimet cum Dalæo fateantur, Sarpium calvini potius, quam Catholicorum caſtra ſecutum fuiſſe: in Sarpii monumentis multa reperiri, quæ Proteſtantium dogmata ſapiunt, atque ideo etiam non Venetiis hujus Autoris partus lucem primo meruit aſpicere, neque in alia Catholica urbe, ſed, ut teſtantur Beckius, Buxdorfiusque, hiſtoria illa Londini prodiit obſtetricante famoſo illo Apoſtata Marco Antonio *de Dominis* ſub nomine: di Pietro Soave Polano, quod per anagramma idem ſonat, ac di Paolo ſarpio Veneto. Interea autem

in isthac unica conc. Tridentini historia Eminentiss. Cardin. Pallavicinus Sfortia SEXCENTAS & ultra has SEXAGINTA grandes tum imposturas tum falsitatates & mendatia detexit, castigavit & ex actis publicis confudit. Unde Clariss. Joannes Stoz in sua Relatione historica *de gestis in Tridentino Concilio* ita scribit: „ Ille Tenebrio (Paulus „ Sarpius) librum suum nominavit quidem *Hi-* „ *storiam Conc. Tridentini*, sed non tam *de concilio*, „ quam *contra Concilium* scripsit & innumeris im- „ plevit erroribus non tantum in doctrina, sed „ etiam in ipso facto, in eoque passim hæreticum „ agit, vel hæreticorum patronum: unde nec „ auffus fuit in loco catholico hunc librum im- „ primere, sed missit Londinum in Angliam ad „ apostatam, qui postmodum Romæ misere obiit „ in imagine combustus. „ Sed mittamus jam ista, transeamus ad alia, nimirum.

CXXIII. Ad plausibilem Anonimi *in adducendis autoribus* eruditionem, sed & ad debilem ex contrariis Eorum sententiis *concludendi* notitiam. Patitur Eximius autor, ut nævos recenseam. Ingens, & doctrina clarissimus catholicorum Doctorum numerus defendit, PAPAM *esse infallibilem*. Alii Doctores hanc Doctrinam impugnarunt, id verum est, sed falsum est, quod fundamenta priorum *enervaverint*, qui hoc prætendit, demon-

strat,

ſtrat, quod doctrinam illorum Theologorum ne quidem intellexerit. Pariter magnus Catholicorum Doctorum Chorus CONCILIA *infallibilitatis prærogativa gloriari propugnat:* at vero, qui exiſtimat horum Profeſſorum principia à contrariis *evacuata* fuiſſe, vehementer impingit. Poſtremo, graviſſimi autores docent, quod ECCLESIA DISPERSA *infallibilitate gaudeat*, &, is, qui audet aſſerere, hanc ſententiam ſub haſtam veniſſe, ad incitas ſe redactum fuiſſe, certiſſime credat. Quis eſt iſte Vir! qui ſe harum ſententiarum JUDICEM jactare audeat? quid! talis privatus, innominatus, publico incognitus reſpective homuncio cum parvula ſua ſcientia talem ſe eſſe ſuperbe prætendat, qui tantos Doctores, virosque Doctoratuum laureis, infulis, purpura fulgentes & toto orbe celebratiſſimos in judicium vocet' & temerarius ſententiam pronuntiare non erubeſcat, unam Doctrinam tantorum virorum, ab alterius partis Doctrinæ fundamentis (cum ſingulæ altiſſimis ex S. Scriptura, Traditione, Partibus, Conciliis, Hiſtoria & Ratione hauſtis principiis nitantur) ENERVATAM *fuiſſe*, *& ſic convictam*, ut ſingulæ earum in vacuas aures abiverint?

Sed ipſus ſe in oculis ſuis humiliare videtur, & vela contrahere, dum bella conſequentia ita concludit: „ *certum* non eſt, quodnam ſit SUB-

„ JECTUM Infallibilitatis Ecclesiæ, ergo neque „ certum est, dari Ecclesiæ infallibilitatem. „ Interim: Estne hæc etiam digna Doctore consequentia, à minori ad majus, *à Doctrina Theologorum* concludere *ad Doctrinam totius Ecclesiæ?* Ad Doctrinam *totius Ecclesiæ*, inquam, quæ anchoram in ipsismet Christi verbis firmissime fixit: *portæ inferi non prævalebunt adversus EAM*, quæ adeo clara, imo *manifestissima* sunt (S. Augustinus loquitur) *ut vel bardus non possit dicere non intellexi.* Portæ inferi non prævalebunt adversus EAM, sive dispersam, sive in Conciliis *cum suo legitimo & indubitato CAPITE* coadunatam & sacro unionis vinculo conjunctam.

Scitote ergo, & tandem aliquando advertitote! „ Theologorum Catholicorum *diversas Doctrinas* „ pugnare, probare & demonstrare à priori, & „ in hypothesi, „ cum DOGMA Ecclesiæ in Thesi, doceat, Infallibilitatem *in unitate* consistere. Hæc est pragmatica amandissimi Salvatoris nostri Sanctio illa, & hoc est (prout Meldensis Episcopus inculcat) CERTUM Dogma, „ vim ultimam & „ ineluctabilem *unitate & consensione* constare: „ id valere etiam, quocunque modo illa consensio „ se declaraverit, sive Concilia generalia congre- „ gentur, sive non congregentur. Hanc commu- „ nem & pervulgatam esse controversiarum fi-

„ nien-

„ niendarum viam, qui non intelligit *eum pacis*
„ *inimicum*, & omnis Ecclesiæ rei *imperitum esse*
„ profiteor. "

CXXIV. Cum Ecclesia Victrix Anonimum veluti Lunam sub pedibus suis calcat, copias auxiliatrices adducit Exim. Dom. de Carl, qui in *cit. opere* quærit: Utrum Infallibilitas in S. Pontifice, aliisque Episcopis, sive *in*, sive *extra* concilia Ecclesiam repræsentantibus *tota*, vel *in partes divisa* in quolibet eorum resideat? Respondemus breviter. Cum causa fundamentalis & unica infallibilitatis provenat à divinæ Voluntatis Decreto, quo Ecclesiam ab omni, quæ ad fidem & mores spectant, errore præservare constituit, penes ipsum est, ubi spirare, cui inspirare & quæ vera sunt, suggerere velit. Spiritus Paraclitus inter primaria membra docentis Ecclesiæ semper in sufficiente numero inveniet, qui factæ inspirationi ac suggestioni præbebunt aures, sed & fidelis populus eodem lumine illustratus doctrinam libenter suscipiet & suis Pastoribus obsecundabit. De Dom. de Carl non licet suspicari, eum tam simplicem esse, qui credat, *Infallibilitatem* in Ecclesia veluti animam rationalem ad mentem præstantissimorum Philosophorum in corpore existere, totam in toto, & totam in quolibet parte, aut S. Pontifici & Episcopis, Ecclesiæque fidelibus per modum olei, aut alterius liquoris infundi.

CXXV. Ad Anonimum recta via revertentes, eum à *fol.* 340. plurimas eructantem calumnias jam iterum innobiliora Ecclesiæ Catholicæ membra, & dogmata deprehendimus. Dum autem OBJECTUM infallibilitatis aggreditur, *fol.* 351: severe demandat, ut ex Catholicis quæratur. quare Concilii gener. definitionem pro infallibili habeant dogmate, seu fidei objecto? „ Papistæ, „ inquit, respondebunt, quia *infallibilis Papa* si„ gillum autoritatis per suam confirmationem im„ pressit. Alii (sunt verba illius) dicunt, *quia* „ *concilium generale fuit.* Quælibet pars (pergit „ ulterius) refutat alteram, & consequenter Ca„ tholicorum unio & convenientia in eo robora„ tur, quod ab ipsis Catholicis impugnatur & „ subvertitur. “ Ut verbis suis autoritatem faciat, allegat par nobile fratrum, *Animosum* (den Freymüthigen) Richardum illum *Simonium* ab Illustrissimo Bossuetio ablegatum, decapitatumque. Sequentia à *fol,* 370. contemptibilia sunt, eoque ipso indigna, ut afferantur.

Sin vero ad principalem Anonimi Paralogismum oculi vertantur, statim notabitur, quod CATHOLICI, non ad particulares Theologorum sententias, sed ad Dogma fundamentale Religionis attendentes, longe aliter respondeant, quam Doctor iste anonimus vir plane ineptus in suo animo

fingit.

fingit. Ideo à S. Pontifice necessario requiritur Conciliorum confirmatio, ut Ea ab Ecclesia *tanquam* œcumenica, conciliariter facta, sub legitima directione continuata, finita, & legitimo præsidente, per Christum constituto Capite, *sic habita acceptentur.* Pari modo, CATHOLICI, qui ex particularibus suis principiis directis Concilia generalia infallibilia pronuntiant, ex principiis ad Dogma pragmaticum Ecclesiæ reflexis respondebunt ad unum omnes: Decisiones Conciliorum pro Dogmaticis non haberi ab Ecclesia, nisi Caput cum corpore, Ecclesia consentiat cum S. Pontifice. „ Hanc enim communem & pervulgatam esse „ controversiarum finiendarum viam, qui non „ intelligit, cum *pacis inimicum*, & omnis rei „ ecclesiasticæ IMPERITUM esse profiteor. “ Quomodo ergo jam iterum subsistit anonimus tam IMPERITE pronuntians: „ Apud Catholicos *unio-* „ *nem & convenientiam* in eo roborari, quod ab „ ipsis Catholicis impugnatur, atque subverti- „ tur? “

CXXVI. Adhuc alia Autori ex Clariss. *Holdenii* Analysi *fol.* 385. describere libuit, & cum Exim. D. P. Beda Mayr defendere, „ quod Ecclesia *tantum* ex traditione comuni, ea nimirum, quæ ubique, semper, & ab omnibus agnita fuit, decidere valeat, & dogmatizare. Verum, hoc

falsum

fallum suppositum jam antea profligatum, & ad internecionem delectum fuisse, conspeximus, atque Anonimus ipse *fol.* 394. triumpho applaudit sequentibus verbis: *Ecclesia definiendo tantum hoc facit, ut veritatem à falsitate dispellat.* Utique, Nam *Ecclesia est columna & firmamentum veritatis.*

CXXVII. Mirati hucusque sumus miras Anonimi *objectiones*, quas contra infallibilitatem Ecclesiæ proposuit. Nunc pro illa *quatuor Probationes* Catholicorum *à se submovendas & refutandas* adducit. Videamus, an illas possit solvere.

PROBATIO I. „ Cum Verbum Dei à diversis „ in plane diverso sensu sæpius expositum fuisse, „ experientia testetur, dari quoddam infallibile „ oraculum necesse est, ut verus ac genuinus „ illius a Deo intentus sensus certo & infallibiliter „ inotescat. „ Quid dicit Anonimus ad hoc fundamentum & firmissimam petram, ad quam omnia Sectariorum capita contusa fuerunt & conquassata? Assecuramus, quod ei omnino vox faucibus hœreat. Non verba, & inanes ambages requirimus, sed stringentia ex fontibus theologicis argumenta.

PROBATIO II. In eo consistit, „ quod, „ quia Deus *unitatem* in Ecclesia voluit clarescere, non potuerit Eandem in explicanda voluntate sua, & in declarandis suis altissimis Mysteriis

„ riis non reddere infallibilem, ut docti non mi-
„ nus, quam indocti Cynosuram & certam regu-
„ lam haberent, ad quam se tuto dirigere vale-
„ rent, & divinam suam majestatem *in uno Spi-*
„ *ritu* & veritate colere & adorare. “ Quid jam cogitant eruditi Lectores? quamnam Anonimus hujus invictissimi argumenti responsionem, ac solutionem adornavit? Etenim ausu à sæculo inaudito se *Catholicum* dicere, & *Catholicismum* proditorie aggredi, eumque *acriori examini exponere* velle, verba Christi, atque Apostolorum in alium, in Ecclesia nunquam auditum sensum detorquere, talibusque mediis sponsam Christi suspectam, atque innumeris detractionibus ac calumniis invisam prostituere, hoc sane est aliquid, & revera præter inexspectatam audaciam talem requirit fortitudinem, qua olim gigantes montes montibus imponentes cœlum ipsum oppugnare contenderant, sed Ecce! prodit ridiculus mus.

Cum suo Animoso, dem Freymüthigen, respondet, „ Christum, quando Ecclesiam suam in uni-
„ tate fundavit, hanc suam fuisse intentionem, suos
„ discipulos omnes convenire debere in moribus &
„ Charitate. “ Nihil amplius? Non, nihil amplius. Adeoque non faciamus cum hujusmodi vaniloquo & seductore multa verba. Si velit, sibi altum imprimat S. Augustini monitum salutare: „ quis quis à *Ca-*

„ *tholica*

„ *tholica* Ecclesia fuerit seperatus, quantumlibet
„ se laudabiliter vivere existimet, *hoc solo scæ-*
„ *lere*, quod à CHRISTI UNITATE sejunctus
„ est, non habebit vitam æternam, sed *ira Dei*
„ *manebit super eum*; „ Nam, ut iterum loquitur:
Non habebit Deum Patrem, qui Ecclesiam noluerit habere matrem. Alios vero rogamus, ut ipsimet mente recogitent, quale in moribus futurum foret disturbium, in Charitate excessus, nisi *etiam pro moribus in fide fundatis, & debita Charitate formatis* Ecclesia infallibilem regulam præberet?

CXXVIII. Modo auscultemus. Novum enim movet Autor *fol.* 477. scrupulũ sequentibus verbis: „ Plebs catholica non potest altissima Mysteria
„ capere, unde dicunt Doctores, sufficere fidem
„ *implicitam*, nimirum, *si omnia credant, quæ*
„ *Ecclesia credenda proponit.* An non esset *idem*
„ (ait) si diceretur: *credo omnia, quæ in S.*
„ *Scriptura continentur*? „ Minime gentium; Nam qui credit, quæ Ecclesia credenda proponit, non tantum credit, quæ in S. Scriptura continentur, sed &, quæ Ecclesia ex legitima traditione decidit; Nam præter verbum Dei scriptum detur etiam traditum. Qui igitur actum fidei elicit: *credo omnia, quæ in S. Scriptura continentur*, hunc actum *signate*, non *exclusive* ad traditionem, & ipsius Verbi scripti legitimam Ecclesiæ infallibilis

sensus

ſenſus explicationem elicere debebit, ita, ut *idem* non ſit, ſed toto cœlo diverſum, *credo omnia, quæ in Scriptura continentur*, & *credo omnia, quæ Eccleſia Catholica credenda propoſuit.*

Probatio III. ab Anonimo ita proponitur: „ Sine infallibilitate Eccleſiæ *ſecuri* eſſe haud poſ„ ſumus, de veritate propoſiti Dogmatis, „ & cum ſuo Animoſo opponit: ad hoc infallibilitatem Eccleſiæ haud eſſe neceſſariam, cum hæc ſecuritas ex alio fluvio jugiter hauriatur. Qualis ſit fluvius, imediate audiemus. Hoc loco id ſolumodo notandum, quod, quia Anonimus principale hujus Doctorum Catholicorum probationis punctum omiſit, à *fol.* 478. cum omnibus ſuis ratiunculis ærem verberaverit. Juvemus ergo inopem.

Quare Catholici Doctores ad Infallibilitatem Eccleſiæ recurrunt, *ut fideles ſecuri eſſe poſſint de veritate propoſiti Dogmatis?*

℟. Ideo, quia ſine infallibilitate Eccleſiæ, ſineque manifeſta promiſſione Salvatoris, *qui vos audit, me audit*, actus SUPERNATURALIS FIDEI non poſſet ex DEBITO MOTIVO elici; CREDO chriſtum verum eſſe Deum, conſubſtantialem Patri: „ credo in Spiritum Sanctum, qui *cum Patre & Filio ſimul* adoratur, & conglorificatur: „ CREDO: Chriſtum eſſe verum hominem, CREDO, Eundum vere, realiter & corporaliter præſentem eſſe

in

in Eucharistia; « CREDO hæc & alia omnia, quæ Ecclesia credenda proposuit. Ex quo motivo? Quia DEUS REVELAVIT &c. quod motivum fidei supernaturale esse, sciunt non Theologi tantum, sed in Ecclesia Catholica Laici quoque ad unũ omnes. Quis igitur stupidissimum non rideat autorem Anonimum, quando Doctores Catholicos *fol.* 483. *jubet fasces deponere*, & cum Protestantibus aliam securitatis inveniendæ methodum quærere? quam illam?

CXXIX, Dom. de Carl. Wirzeburgensis à *fol.* 84. apertius de hac re ita loquitur: „ Existen-
„ tiam *Christianæ Religionis* non tantum doctrina
„ sancta, pura & salutaris, sed & Miracula à
„ Christo, atque Apostolis patrata evidenter de-
„ monstrant. Hæc miracula ab initio Religionis,
„ & præ ulteriori istius propagatione omnino ne-
„ cessaria fuerunt, ut fideles securi redderentur
„ de veritate Dogmatum, quæ prædicabantur.
„ At Ecclesia jam fundata & radicata Christus
„ non amplius voluit Eandem prodigiorum evi-
„ dentia sustentare, quia subsequentem ac ulte-
„ riorem conservationem illius *per historicam cre-*
„ *dibilitatem*, aliaque humana sufficientia media
„ sine infallibilitatis prærogativa obtinere potuit.
„ Inter hæc media (ait) mihi præponderat anti-
„ quissimorum testimoniorum concordantia &

„ con-

„ consensus in illis invenio quosdam articulos, „ *quos fundamentales* vocant, de aliis non sum, „ inquit ipse, multum solicitus. “ &c.

Nos autem clar. Vir! de aliis Te solicitum esse debere, prætendimus ‘ & in Domino admonemus. An Apostolos suos tantum miraculorum gloria illustravit Christus? an non iisdem pro Doctrina à se ipsis tradita usque ad consumationem sæculi conservanda Spiritum Sanctum promisit, qui eos *omnem* doceret veritatem? An non expresse mandavit illis, ut irent in mundum universum & prædicarent Evangelium omni creaturæ docentes eas servare OMNIA?

Jam vero, quare Christus Dominus non tantum virtutem patrandi miracula, sed etiam suam & Spiritus Sancti assistentiam usque ad interitum mundi Apostolis promisit? Ideo, ut oves & agni, qui vocem ejus audiunt, ab Apostolis & eorum in pastorali, ac docendi officio successoribus non tam exigant *miracula* (quamquam millena & millena datis occasionibus & necessitate patrata fuisse, sciamus) quam *doctrinam* Spiritus Sancti inspiratione promulgatam, eamque fide divina, & ex supernaturali motivo credant, & contra omnes Novatorum hæreses credere valeant. Item, ut Fideles sint humiles & credüli, magis Christi PROMISSORIIS VERBIS credere parati, quam innumeris

miraculis. VERBUM Domini manet in æternum. Adeoque damnabilis perficacia eſt, & inexcuſabilis auſus, aperta & manifeſtiſſima Dei omnipotentis verba à ſenſu litterali, obvio & omnibus claro ſophiſticis apicibus oblitterare pervertere & alterare, tantum ideo, ne legitimis Paſtoribus in una linea ſibi invicem usque ad noſtra tempora ſuccedentibus obedientia præſtetur & debita ſubmiſſio.

CXXX. Iſtud igitur non ſine matura penſandum eſt obſervatione: Non ſufficere *fundamentales*, ut vocant articulos, admittere, ſed & alia ab Eccleſia deciſa Dogmata credere & profiteri, neceſſe eſſe. Quamvis enim non Tam amplificata amplius humana teſtimonia habeantur, quod Apoſtoli hanc, vel illam Doctrinam fidei manifeſtaverint, certi tamen ſumus & convicti, hæc quoque dogmata ab Apoſtolis tradita, ac omni retro tempore in Eccleſia conſervata fuiſſe. Aliter res ſe ſe habere haud poſſunt, quia Salvator vi ſui promiſſi non poteſt, nec potuit unquam permittere, ut *pro ſua Doctrina* in Eccleſiam introducatur falſa, & novitas contra antiquam veritatem vires accipiat; eſtque hoc ipſum ſtrictiſſimum præceptum Eccleſiæ à Deo impoſitum omni novitati reſiſtere, & nihil novum divinæ fidei ſuperædificare.

Si

Si Christo placuisset præter infallibilitatem potestatem pro libitu patrandi miracula docendi officio adnectere, quis id ipsi prohibere potuisset? modo autem, quia Ecclesiæ arborem non amplius voluit, quemadmodum, quando adhuc tenerum arbustum erat, continuis miraculis, prodigiisque irrigare, nobilissimum infallibilitatis medium remansit, cœli favor & divinus Spiritus Sancti afflatus, quo omnis, prout mandaverat, Ipsius Doctrina usque in finem, seu interitum mundi conservaretur, prout per Decursum hujus appendicis centies ferme ex SS. litterarum inconcussis ac irrefragabilibus locis demonstravimus. Superest, quam Anonimus solvere tenetur.

PROBATIO IV. quæ talis est: „ Duæ tantum sunt viæ, quibus ad veram Religionem aditus patet, vel *Ratio*, vel *Autoritas*. Ratio, quia nimis debilis est, & ob peccati nævum ita obfuscata ac destructa, ut in rebus supernaturalibus illius ductui securi inniti minime possimus, ad Autoritatem, eamque certam, firmam ac infallibilem confugere debemus. Ubi autem reperiemus eam, nisi in Ecclesia Catholica tot signis fulgente & motivis supernaturalibus? Mirum, quantum hoc argumentum urgeat Magnus S. Augustinus. Avidissimi igitur expectavimus, quid portentosi, tantoque Examinatore dignum ei opponere potuerit?

Argumentum isthoc, ut omnes vident, procedit de *Religione revelata* apud solam infallibilis Ecclesiæ autoritatem invenienda. Anonimus autem hiante ore ait hic: „ Ad *naturalis Religionis* existentiam „ probandam Ratio sufficit. „ Quanta perversi animi cœcitas, & quale falsitatum nebulis obtenebratæ mentis obscurum!

Ne tu mihi insipidus es, qui non advertis manifestam in hac desperata responsione *petitionem principii*, ut, dum Catholici, quos prurientibus mordere dentibus desideras, loquuntur de Religione revelata, tu de Religione *naturali* discurras; & quando Catholici *Rationi* ob peccatum nimium quantum destructæ in rebus supernaturalibus investigandis non fidunt, Tu, ut cito transire valeas, festivus ita pronuntias: *ad Naturalis Religionis existentiam probandam Ratio sufficit.* Ecce Chariſſime Lector! Anonimus, qui ob aliqualem Eruditionem superbia turget, etiam hoc ignorat, quod sciunt omnes: Rationem ubivis extravagantem sibi soli relictam neque *verum infallibile NATURALE* juxta præscriptas ab Autore Naturæ regulas definire valere, prout millena in antiquis sapientissimis Philosophis exempla demonstrant. Jam scio mi bone! de qua tibi Religione *naturali* sit sermo. Nunquid de illa, quam impiissimi homines docuere, Joann Bodin, Tindal, Touffaint,

Rous-

Rousseau, Delaurier Volumine II. debite castigandi, quæ consistit in mero *Naturalismo*? Torrens iste, sicut Nilus totum Ægyptum innundans se se jam actu quaquaversum diffudit, & Anonimum penitus deglutivit. Jam non amplius cum Protestantibus, quemadmodum antea, *S. Scripturam*, ut ut solam, pro instructione admittit, sed Ea quoque cum omni divina Revelatione rejecta, etiam in illos & Calvini Assecias, *fol.* 535. sagitarum torrentem sequentibus effudit: „ Vestrum systema minime cohæret, quia impossibile est, in „ exponendis SS. Litteris libertatem conscientiæ „ habere, & simul easdem SS. Litteras intelligere, & exponere ad mentem Lutheri seu Calvini. „ Ex his inconsultus Anonimus cum celebri Fenelonio infert, suo autem se proprio judicio condemnat: *Aut Catholicus esse debes, aut Atheista*, aut ad minimum Naturalista, qualem se clare prodit *fol.* 488. item clarius *fol.* 544. clarissime autem demonstrat.

Sectio VIII. Resultatum narratæ historiæ.

CXXXI. Hæc sunt verba Autoris „ se collegisse omnia materialia, quæ pro probando „ Catholicismo, & fundamentali ipsius *de Infallibilitate* principio servire possunt. Probet ergo

„ ea Catholicus. Si enim, pergit *fol.* 562. Ca-
„ tholico ne quidem fundamentum, in quo fides ip-
„ sius quiescit, probare licitum foret, quomodo
„ dicere posset, se non cœco modo incedere?
„ *Melius est*, instat, *in aperto campo tentoria fige-*
„ *re, quam in domo, quæ ruinæ proxima est.* Hæc
„ ergo, cum probabilius instet, sanæ rationi
„ congruum est magis, antiquum domicilium cum
„ suis commoditatibus deserere, & reliqua sal-
„ vare, id est (ut ipsus explicat) si Catholicus
„ Ecclesiæ suæ infallibilitatem salvare non potest,
„ necessarium est utique, ut alia principia eligat,
„ non obstante, quod fidei suæ contraria esse re-
„ periantur. " Siccine! *non obstante quod fidei suæ contraria esse reperiantur.* Quidnam per hæc verba & priora Anonimus intendat, perscrutari adeo difficile haud est. Talia principia eligenda esse persuadere conatur, quibus, excussa infallibilitate Ecclesiæ, omnia successive fidei Dogmata, neque SS. Trinitatis Mysterio excepto, proscribantur.

Ut dolus paulisper lateat, verbis Vincentii *Lirenensis* abutitur, & *fol.* 597. aliis omissis, ita loquitur: „ Theologo, qui *Dogmata Ecclesiæ*
„ describit, *magnus campus* aperitur. Quot Dog-
„ mata inveniet, quæ in mera ratiocinatione, &
„ Aristotelico-Scholastica veste induta conspi-
„ ciet.

„ ciet. De quibusdam tantum memoriam faciam.
„ JESUS est Deus: est Filius Dei. Estne *Filius*
„ *Patri æqualis*, vel *inæqualis*, vel estne Essentia
„ utriusque *una & eadem*? danturne in divinis
„ τρεισ ὐσιά, vel τρεισυποστάσεισ? quomodo Trinitas
„ cum unitate combinatur? Antiquiores Patres
„ admiserunt tres Essentias, seu substantias, &
„ sic melius declarabant Trinitatem. " Ecce! quid dixerim. Interim, quia per totum VOLUMEN I. isthoc SS. Trinitatis Mysterium, una cum aliis Dogmatibus huc pertinentibus invicte demonstratum jam est, hujus viri narratæ historiæ Resultato opponamus alterius cujusdam.

Memorabilis Historiæ Resultatum.

CXXXII. Sœpius ob haud levia negotia Viennam Austriæ adivi. Anno 1756. ad hanc Metropolim imperatoriam navali itinere proficiscens, præter alios comitem sortitus sum hominem comem admodum, qui sicut in historicis eruditionem, ita in rebus agendis haud vulgarem se possidere dexteritatem varii discursus dederunt. Ante omnia placuit pronus ipsius ad officia animus. Vestes mercatorem indicabant, sub quibus tamen (ut postea in notitiam venimus) uns è Protestantium Pastoribus latuit. Is cum inaudiit, à me Salisburgi Theologiam doceri, varia ex Sacra

Sapi-

Sapientia dubia movebat. quondam, & quasi ex abrupto, nemine nisi illustrissimi D. Leopoldi Comitis de Künburg moderatore, viro utique Religioso & docto præsente, sic dixit: „ Verumne „ autem, quod Catholici prætendunt, *Catholicam* „ *Religionem unice salvificam esse?* inexspectata in- „ terrogatio! Eam igitur contraria interrogatione „ dilluere statui. " Mi Domine! nunquid ante „ ducentos annos circiter, germania universa „ usque ad annum 1524. quo Doctor Martinus „ Lutherus cucullum deposuit, Missam abrogavit, „ & plura prioribus contraria dogmata prædica- „ vit, ex integro fuit Catholica? Certe, *in om-* „ *nibus* Rom. Imperii Provinciis, *ab omnibus*, „ & *semper* ab introductione Christianæ Religio- „ nis unus fuit Deus, una FIDES, quam sola, „ semper & unica Catholica conservat Ecclesia, „ quia contra Eam portæ inferi prævalere haud „ possunt. Quem ergo, si modo quid simile con- „ tingeret, & quispiam, Lutheri instar vinculam „ unionis Ecclesiæ violaret, scinderet, rumpe- „ ret, quem (inquam) non proprium condem- „ naret judicium, si talem Novatorem sequere- „ tur, & spiritus Sancti assistentiam Ecclesiæ „ promissam in hujusmodi hominem transcribe- „ ret? " Plura adjungere parantem cohibuit ipse incognitus hucusque itineris comes. Nam oculis

in

in cœlum ſublevatis gemens ſuſpirium emiſit. Absque dubio ſenſit ſibi intimam oſſium medullam exareſcere.

Tantum Reſultatum.

Cauſavit genuinus Vincentii Lirenenſis Commonitorii verborum ſenſus, quem Anonimus ſiniſtre intellexit, Lirenenſis autem *Cap. III.* clare exhibuit. „ Quid igitur (ſunt verba ipſius) tunc „ faciet Chriſtianus Catholicus, ſi ſe aliqua par„ ticula (v. g. Lutheri, Calvini) ab *univerſalis* „ *fidei communione* præciderit? quid utique, niſi, „ ut peſtifero corruptoque membro *ſanitatem uni*„ *verſi corporis* anteponat? quid, ſi novella ali„ qua contagio non jam particulam aliquam tan„ tum, ſed totam Eccleſiam (ſicut arianorum „ tempore factum fuit) commaculare conetur? „ tunc providebit, UT ANTIQUITATI inhæreat, „ quæ prorſus jam non poteſt *ab ulla novitatis* „ *fraude* ſeduci. “

CXXXIII. Semper, ab ipſis Religionis noſtræ incunabilis obſervatum eſt, quod, quocunque Novatore aliquod, vel plura Eccleſiæ dogmata impugnante, vel Ei ſub quocunque, etiam S. Scripturæ, aut contrariæ Traditionis prætextu novitatem obtrudere molienti Eccleſia ſuo legitimo lapiti, Chriſtique Vicario *unita* ſe ſe oppo-

ſuerit,

ſuerit, errores impugnaverit, expugnaverit, proſcripſerit. Nihil juvabat, & actu nihil juvat inanis jactatio, viros ingenii acumine præſtantiſſimos, orientalium linguarum peritia, critices, aliarumque artium & ſcientiarum ſubſidiis inſtructos eſſe, aut fuiſſe, qui contra Eccleſiam vexilla ſeditionis erigebant. Unicum enim ſemper, & pro ſemper ipſis aliquid defuit, aliquid momentoſum, principale, ſingulare & neceſſarium. Quod illud? ASSISTENTIA SPIRITUS SANCTI, ſine qua in ſpiritualibus omnis conatus, omnis labor & terrena ſapientia flaveſcit. Soli illi de eadem certi ſunt, quibus Chriſtus dixit: *qui vos audit, me audit*: ſpiritus Sanctus *docebit vos omnem veritatem*, Summi Pontifices & Eccleſiæ Paſtores.

Quid ergo ſupereſt, niſi, ut hujus Anonimi autoris memoriam à cordibus noſtris avulſam æterno condamus ſilentio, ſique iterum redeat, & tanquam novus Propheta DOMUI, nimirum Eccleſiæ ruinam *probabilius proxime inſtare* vaticinetur, deploremus ejus vecordiam, qui ignorat quod S. Hieronymus Epiſtola ad S. Damaſum monuit: „ quicunque *extra hanc Domum* agnum co„ mederit, profanus eſt: ſi quis in Arca Noe „ non fuit, peribit regnante diluvio.“ Et quando nos ad ſua, & ſuorum commilitonum TENTORIA in aperto campo ſeparatim fixa temararius invitat,

incu-

incutiamus ei terrorem ex SS. litteris, ac paſſum exhibeamus de Core, Dathan, & Abiron. Certe pœnitebit eum *de tentoriis in aperto campo fixis* mentionem feciſſe. Sic enim Numer. *Cap. XVI.* Legitur: „ Confeſtim igitur, ut ceſſavit loqui, „ diſrupta eſt terra ſub pedibus eorum: & ape- „ riens os ſuum devoravit illos *cum tabernaculis* „ *ſuis*, & univerſa ſubſtantia eorum. Deſcende- „ runtque vivi in infernum operti humo, & pe- „ rierunt de medio multitudinis. “ Hæc Ego quoque hucusque locutus fui, neque in alium finem dixi, niſi, ut magis honorificetur SPONSA Chriſti, Eccleſia Catholica, & denique.

U. I. O. G. D.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ERRATA

quæ ſenſum alterare videntur.

Fol.	Lin.		Legatur
39.	12.	quodam,	quædam.
40.	21.	proximum,	promiſſum.
46.	19.	quid,	apud.
52.	12.	clyqueo,	clypeo.
52.	24.	propria,	proprios.
53.	2.	proteſtandũ,	Proteſtantiũ.
69.	16.	qua,	quæ.
75.	8.	ipſa,	ſi ipſa.
86.	4.	jugitur,	non.
94.	11.	nihilominus,	nihil minus.
120.	6.	quà,	quæ.
141.	25.	verum,	rerum.
169.	25.	propria,	proprio.
173.	3.	pro certo,	propere.
173.	20.	205.	230
186.	24.	contra & præ,	contra & pro.
187.	3.	Deum,	dicam.
190.	14.	oculis,	oculos.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ntur.

egatur
nædam.
romissum.
pud.
lypeo.
roprios.
rotestantiũ.
uæ.
ipsa.
on.
ihil minus.
uæ.
erum.
roprio.
ropere.
30
ontra & pro.
icam.
culos.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf